

3 3433 07024403 7





CARMINA

FRANCISCI TRANQUILLINI MOLTEDO

SODALIS BARNABITAE


CARMINA



FLORENTIAE

EX OFFICINA ORPHANORUM

MDCCCLXXXII



THOMAS VALLAURIUS

LECTORI SALUTEM



Ne mirum tibi videatur, candide lector, quod in tanta hac opinionum perversitate, quae abhinc aliquot annos probatam studiorum rationem apud nos labefactare conatur, volumen prodeat, in quo latina Carmina leguntur a Francisco Tranquillino Moltedo V. Cl. concinnata. Virtus, quae propria est romani seminis, in Italia nondum exaruit. Optimo rerum nostrarum fato nonnulli etiamnunc vivunt spectatissimi viri, qui pueritiam et adolescentiam in omni honestarum artium cultu transegerunt; quo videlicet tempore doctores quidam litteris latinis tradendis grandi et ridendo supercilio nondum clamitarent, furiosum plane esse ac puerile in litteris latinis perdiscendis sic elaborare, ut venusti et ornati scriptores habeamur.

Obstupescent profecto nepotes nostri, quum legent absurda haec a gregariis aetatis nostrae doctoribus temere effutita. Sed ventosam talium praeceptorum loquacitatem nihil moratur Moltedus, qui prima doctrinae rudimenta sub magistris haud poenitendis posuit, quique multos iam annos in Romanorum litteras ita se abdidit, ut ad magnam eruditionis famam perveniret.

Politissima huius Carmina hic habes didascalica, satyrica, heroica. Haec subsequuntur elegiaca et lyrica; postremo accedunt epigrammata. In satyris quidem plautinam pene dixerim, dialogi festivitatem notabis; in elegiacis praesertim et lyricis affectus varios graphice expressos; in epigrammatis «*plurimum salis et fellis, nec minus candoris*» invenies. In universum aestimanti dives ingenii vena in poëta nostro occurrit, nativus, non adscitus orationis color, et profluens quaedam in scribendo celeritas, quum res novae, aut veteribus indictae, latine sunt significandae. Hoc autem, mea quidem sententia, maxime laudandus est noster, quod non integros versus, non ἡμιστίχια a superioribus poëtis improbo labore et serviliter mutuatus, aptas voces et locutiones ex penu suo sic depromit, ut suus ubique videatur.

Innumeris occupationibus districtus tantillum hoc habui, quod raptim scriberem de latinis MOLTEDI poëmatiis, quae guttembergiae artis lenociniis nuper exornavit officinator florentinus, italica propediem vulgaturus, ex eiusdem poëtae adversariis excerpta. Vale.

Scripsi Augustae Taurinorum
IV. *idus Apriles, An.* MDCCCLXXXII.



DIDASCALICA

CORALIUM

ARGUMENTUM

I. Propositio, et dedicatio Carminis Xisto Riario Sfortiae Card. Arch. Neap., hospiti benemerenti. — II. Coraliorum descriptio. — III. Loca praecipua Coraliis colligendis. — IV. Cymbarum et Navaculi descriptio ad Turrim Octavam. — V. Profectio. — VI. Primum iter, et variae nautarum metae. — VII. Retium descriptio. — VIII. Libyae orae diversae, piscationi adsignatae. — IX. Coraliorum piscatio. — X. Multiplices Coraliorum species. — XI. Instrumenta retibus extricandis accomodata. — XII. Piscatorum otia et solatia. — XIII. Digressio de Concharum piscatione apud Indos. — XIV. Modus Coralia expoliendi — XV. Piscatio absolvitur. — XVI. Cymbarum reditus ad Turrim Octavam.

I. Quonam coralium levibus legat ordine cymbis
Herculeae propior, gens ignis sueta periclis,
Quique nova in rerum vertat miracula cultus,
Promere fert animus. Trepide mihi, Xiste, canenti,
Dexter ades; quando profugis haec otia nobis
Ipse facis, patronus agens, ubi proxima ponto
Ignea subducens late Vesevius arva,
(Sic dignum Superis) formosa palatia servat,
Regis opus. Me nunc adeo, tua nomina, coeli

V. 2. Incolae oppidi indicantur, aetate media nuncupati *Turris Octavae*, nunc vero vulgari nomine *Torre del Greco*. Quod quidem, contra ac antiquiores senserint, post detecta veteris Herculanei rudera, hodiernae Retinae subiacentia, aliud ab illo esse recentiores eruditi homines communiter asserunt.

V. 5-16. Paucis attingimus amoenitatem et delicias villaticae Domus, quam Card. Spinelli Neap. Arch. aere suo ad Turrim Octavam aedificatam, successoribus testamento legavit.

Assidue facies, zephyro motante, serena,
Et nemoris resonare monent umbracula, turbae
Alituum secura quies; me floribus horti
Aura diversis halantes veris amica,
Et passim piscis, depicti tergora, alumna
Stagna monent; queis instructus supereminet armis
Isacidum dux, torva tuens, et fronte bicornis.
Gratia quanta loci! cuinam miser exul habebor,
Has modo delicias sortitus munera ruris?
Iamque age: quae memorem docuit proferre camoena,
Accipe, non iniussa, Pater, munuscula vati.

II. Coenosis diversa vadis prope littora gliscit
Coralium, specie fruticem dixere priores.
Olli si qua fides, posuit qui foedera plantis,
Tertium ab integro relegens spectacula formae,
Nunc uno, commixta genus, de semine proles
Aevum per scopulos duplex agitare profundos

V. 22. Legesis quae Plinius l. XXXII, c. II, de Coralii natura disserit, et quas l. XXXII, c. X, poeticas in idem fabulas tradit.

V. 23-40. Scilicet Bernardo Jussieu, qui tertius post Linnaeum et Tournefort discrimina nactus ex forma, et loco, quem singulae sortitae sunt partes, nova methodo omnia plantarum genera digessit. Hic porro, cuiusdam medici Massiliensis D. Peysonnet sententiam sequutus, asseruit duplicem Coraliis inesse naturam, animalis scilicet et plantae, cuiusmodi monstro iampridem *Zoophyti* fecere nomen. Recentioribus igitur maxime probatur, Coralium in altero Zoophytorum genere contineri, quod Polyporum dicitur.

In faciem visa est unam, propagine dives
Miratura suas, ramis felicibus, umbras.
Scilicet e iacto piscis fors semine (namque
Polypus obstrusas cellas per septa reponit
Coralii, et gentis spem foetus educat almos)
Cornea principio, latebris virgulta sub alti
Firma sibi ponunt penitus fundamina; molles
Mox tunicas circum distendunt, corticis instar,
Pube nova; queis puniceus plerumque colorem
Subiicit, atque humor placide per membra recurrit.
Exiguae mentita dein primordia vitae
E scopulis caput arbor agens inolescit honestum:
Luxuriant persaepe levi sudantia libro
Brachia; et alba sinus, faciemque simillima flori,
Gemma maritat hians lacrymis post terga volutis.
Arboris haec nova iampridem portenta vocantes
(Ridet enim ceu mille gerens radiata sub undis
Ora) *maris* Graii *pupillam* dicere gaudent.

V. 40–41. Sunt haec Polyporum corpuscula, quae vulgo Coralii lac existimatur. Horum specie deceptus D. Marsigli an. MDCCIII Plinii et Dioscoridis sententiam conatus est confirmare.

V. 44. Communius etymon habere dicitur a κουρὰ ἐν ἁλὶ, quod in mari tondeatur. Nos aliud iuvat, nempe κόρη, (pupilla,) quippe quod melius rei pretium prae se ferat.

III. Aequoreum sed item fruticem non occulit omne
Littus alens: modo sponte valet, modo ferre recusat.
Qua Libyae siccis squalent magalia terris,
Herculeo claudente freto, pars maxima, Syrtim
Ad geminam serpunt, umbris tectura nepotes,
Non centum si cymbae instent, non brachia mille.
Sardonii tum orae gaudent Siculique tulisse
Littoris, inque sinus qua Cyrne frangitur omnis,
Et longe rubeas quae tingunt marmora arenas.
Hic data, diversum quamvis in fenus, habendis
Coraliis statio, faveant dum docta petenti
Instrumenta, suas et lege vocentur in artes.

IV. Hinc condenda ratis, cuius pars planior ima
Vix natet, antennaeque breves tabulata fatigent:
Quo melius, dum fervet opus, pleno incita velo
Aut subeat validis fluitans maris invia remis.
Aurea non facta exsuperet testudine puppis
Costas, nec summo vigilent carchesia malo;
Longa viae non ulla levans fastidia gaza,

V. 84-86. Cymbarum numerus pro nauclerorum facultatibus constituitur. Reformidant enim impensam, quae, si instrumentorum, commeatus et stipendii cuique nautae tribuendi pretium supputes, pro singulis cymbis quatuor millia argenteorum italicorum excedit.

Aut operum impatiens vulgus comitetur euntem:
Ad mala non demum ipsa rudis, simul apta labori.
Haec, ubi multa iugum demittunt strata viarum
Ad pelagus, scopulique, dedit quos Vesvius, alti
Haerent obiectu laterum, vidisse iuvabit.
Instat ubique novas studiosae operata iuventae
Dextra rates: sublatum animis pars robur anhelis
Scindit, ferrata figit pars cuspide clavos.
Hinc alii costas ingenti murmure subter
Abiete contexunt: alii hinc rimosa suburunt
Ligna pice, aut, currente rota, longo ordine tensa
Cannaba contorquent. Cymbarum iam adspice quanta,
Composito passura maris cito tempore casus,
Sylva viget completque vias, suetaeque labori
Turmae, vela simul, funes trochleaeque trabesque.
V. Et iam vix pelagus repetens taciturna sub horam
Temporis aura monet verni dare vela: legendi
Tum vero nautae, ardens quorum audacia frontem
Asperat impavidam; pariter, cui cura peculi,
Navarchus, meliorque fides, de more legendus.
Quisque suas pretii nauclerus foedere facto
Nautarumque manus, et cymbas protinus omnes

Armat, et in totidem, pepigit quae praemia, spondet,
Quaecumque incertum maneat fortuna periclum.
Nec mora enim: nunc tempus aquis, nunc credere vento.
Funibus arrectas aptant, plausuque faventum
Lignorum subdunt.lapsus per saxa carinae.
Urget naucleri circum praesentia; vincla
Stupea robusti cohibent hinc inde lacerti.
Iam gemit axis humi fixus, trochleaeque tenaci
Fune negant cymbae reditum: subit illa, rudentes
Laxantur sensim, ac veluti clamoribus acta
Scindit aquas, spumante salo, et prolabitur undis.
Disiunctis naves en adstant frontibus: armis
Extemplo certant dapibusque onerare vicissim,
Quae fallant avidi tantum ieiunia ventris;
Assae, nigra ceres, multoque foramine ofellae,
Et viles, miseris solatia grata, phaseli.
Interea gemino bis quinis remige nautis
Foeta ratis; sortitus opus prius ipse maniplis
Puppe magister adest; iuxta puer, ora magistro
Intendens, qui iussa ferat, vel iussa secundet.
Aggressas paribus credas contingere naves
Legibus hinc Capreas, saxa aut praerupta Minervae,

Meta vocet quo lecta viae: sic ultro recusant
Stare loco; tantus varios contemnere casus
Ardor agit iuvenes. Et plenis iam omnia portis
Gens studio visendi ineunt et littora complent,
Commixtique viri plebi, puerique, senesque,
Et largo fletu matres, trepidaeque sorores
Prospiciunt, tacitamque premunt sub pectore curam.
Torquent huc illuc spumas, qua dona daturae
Grata viae, qua dicta viris extrema, biremes.
Supplicis ecce autem ora gerens animumque sacerdos
Accedit, cuiusque vagi sub numine venti,
Aequora ter dextra lustrans, in vota lacessit
Ingeminata Deum, et sacra bona voce precatur.
Arrexere animos nautae: navarchus ab ortu
Nactus iter, lymphas euro mulcente secundo,
Carbasa bina iubet dare vento, insurgere remis,
Obliquantque sinus cymbae, celeresque feruntur.
Nunc omnes trepidare, manus attollere, et alta
Voce sequi; littus vale, o vale clamat et echo.
Nec non sollicita cum primum turma carina
Abscessit, fugitque solum, per caerula nautas
Sub noctem patriae vincit pietatis imago.

VI. Littus amant, dextrasque sinunt constringere remos
Cautes principio: ante brevi discriminis auso
Tentandae cymbae, pelago quam currere aperto
Praesidio valeant remi, ventisque feroces.
Ergo Miseni facili petere ostia cursu
Quisque studet, si cogat hiems, vel fata supersint
Improvisa viae, demissa classe, magister.
Hinc iter ingreditur coeptum, proramque suburget
Interior Prochytes ad saxa, sinumque Lucrinum,
Unde fretum spatio Prochytes aperitur iniquo.
Aenariam laeva linquit, Liternaque dextra
Littora. Iam medio apparent ergastula fluctu,
Infames scopuli, viduata haud sontibus unquam.
Caietam, et latos, pelago torquente, recessus
Anxuris effugiunt; superant tum littora Circes.
Altera mox caecas Oenotris prodit arenas,
Iampridem metuenda iugis, sparsaeque per imas
Parva Sinonia aquas, alta et Palmaria fronte.
Inde datur levibus decurrere copia pinis

V. 141-42. Intellige insulam *Ventotene*.
V. 145-46. Oenotrides vocatae insulae duae in Tyrrheno mari, quarum una Aenaria, altera Pontia.

Aequora aperta; viris tellus non amplius ulla
Occurrit. Nunc dux animos, nunc promere vires
Hortatur, quo vela petant, et vincere cursum.
Solem adeo et crebro tacitam sine sidere noctem
Alta tenent; servantque vices, si corpora possint
Auxilio recreare, morae vel taedia cantu.
Iam contra insani montes, portusque patescunt
Sardiniae, visique procul subvolvere fumum.
Hic locus, in geminas qua se via pandit eunti:
Recta, freti quae claustra subit resonantia Taphri:
At subitus si forte feris conatibus alto
Incubuit, boreasque premit transversa, legenda
Laeva rati via, circuitu radendus et infra
Pontus. Iter peragunt hac, iam melioribus usi
Auspiciis, Libyam si certent tangere metam.
Sic alios rediisse pudet, vel flectere vento
Lintea proclivi; contra toto impete certum est
Obniti, fluctusque freti superare minaces;
Et laeva scopulis, (caput his Hermea) relictis,
Arripiunt crebris Taphri sparsa aequora terris.

V. 155. Vulgo *Lambara,* e quorum vertice validi venti, et maxime incerti (unde nomen) in mare ruunt et periculum navigantibus afferunt. (Cf. Liv. l. XXX c. XXXIX.)

Tum, quos coralium Ichnusae et prope littora Cyrni
Collegisse iuvat, socias, facto agmine, cymbas
Communi properant portu subducere. Sedes
Algara stat nautis, et Cyrni urbs adsita Taphro;
Commoda ubi arma parent propius, praedamque reponant,
Quoque fatigatos se mittant tempore certo.
Dividit at longe via adhuc, queis barbara Syrtis
Contingit statio, mauraeque mapalia gentis:
Aenosis subeunda prius, scopulique Dianae,
Vel, quando interclusit hiems, Ficaria fronte
Opposita, remusque diu lentandus in undis,
Quam notae accipiant telluris littora ovantes,
Gallus ubi victis dominatus moenia servat,
Portaque mutandis Afrorum mercibus adstat.
Tergemina tandem nautis statione potitis,
Accelerare vices, (tempus namque ingruit) atque
Limite partiri curant vada longa magistri,
Vel brevia obcaecata mari. Quam multa tegantur
Consita, nec numerum memorem, aut quae nomina cuique:

V. 172. *Bonifacio*, cuius urbis melior incidet mentio v. 235-36.

V. 181-82. Duo oppida indicantur ad oram superioris Africae, nempe ***Bastioni di Francia***, et *La Calle*.

Ipse stupet, cursus iterans, vel nauta quotannis
Invenisse nova, et gaudens nova nomina signat.
VII. Armorum hic locus ingeniis; quo forte parentur
Ordine, qui iacere et qui sit deducere, praeda
Congesta, modus. Atque equidem non mollia dictu,
Si tamen antiqua signare nota abdita rerum,
Et nova iam possim spectacla aequare canendo,
Adgrediar. Simul est pelago captare coralla
Inventum, et primam nautae legere per artem,
(Quo manet Ausoniam iam facti fama vetusta,)
Lignea suffecit tantum, vilisque supellex;
Et veteres quamvis artes, volventibus annis,
Extuderit, cultusve frequens mutaverit, arma
Prima tenent, quamquam docti meliora, recentes.
Nempe est transversus compar vix unus et alter
Truncus, metitur quem saepe decempeda, et omnes
Circumeunt costas ferrato dente capistra.
His medium truncis immani pondere saxum
Nectitur, ut subito piscatrix pertica arenis

V. 201. Paucis abhinc annis propositum est, ut urinatores adhiberentur, lorica glutinosa penitus defensi, et vitreo ad faciem tegumento apposito. Sed frustra: obstat enim maiorum studium et cultus, praesertim apud rudes homines, haud facile dimovendus.

V. 202–14. Huiusmodi instrumentum *Ingegno* vulgo nuncupatur.

Haereat extremis, arcta compage, per undas.
Aequato suggesta trabi discrimine cuique
Retia dependent, queis infra aperitur hiatus.
Brachia quot circum praetendit machina bina,
Ex imo totidem spatiantur retia ligno.
Mox septem suspensa quater per brachia, septem
In trabibus tandem mediis, hac ordinis arte
Ut medio sint longa loco, breviora recedant.
Ordinis haec vis, ut si quando retia contra
Tendere contigerit scopulis, qui multa supinis
Cautibus ima tenent, arrecta fronte, coralla,
Quodque suum complexa gradum, non retia ludum,
Alterum in alterius se trudens limite, turbent.

VIII. Ergo omnis rite his armis instructa iuventus,
Prima duces quum signa viae cecinere, recessus
Linquere festinant, atque otia grata brevesque
Excursus tentare. Lubet vestigia retro
His legere, et notas, quoniam data plurima praedae
Copia, inire vias; illis procurrere longe,
Et metis, qua monstrat iter fortuna, relictis,
Incertis brevibus cupidam obiectare carinam.
Hinc pars, infaustam radens Carthaginis oram,

Dissociata petit Tunetani tramite dextro
Littora lata sinus, et sparsas cominus aras.
Pars subit exiguam Tabracam, Calatamque revisit.
Optant laeva alii, Hipponis prope moenia, saxa,
Atque Diarrytum dextra. Iam parte pererrant
Diversa penitus naves, atque aequora lustrant
Urcinium iuxta, primaeque sub arcibus urbis,
Quae Taphrum penes, immutato nomine ab illo
Dicitur. Hermeae hic penetrant Tibulaeque per aras,
Herculis et multo qua tunditur ampla recursu
Insula, ad extremos, propter divortia, Sulcos.

IX. Disce modo, et magnos mecum, mercede nec usque
Digna, qui nautis superant, perpende labores.
Si multos malit retro observata per annos,
Ante oculis hinc inde capit loca tuta magister,
Indicio, quod fingit aquis prope littoris oras,
Angulus, acclivi facie iuga bina tuenti;
Et praedam, ne forte dehinc eludat euntes,
Obstructam reperisse ratus, per inane repulso
Designat saxo, quod summis parvus in undis
Detegat haud dubie, spoliato subere, cortex.
Arrepta statione semel, iactare per aequor

Arma iubet, sociosque parat: tunc retia nautae
Ante supinata agglomerant, saxoque vicissim
Iuncta gravant medio; inque latus, cohibente rudentem
Praecipitant dextra longum; sic vortice vasto
Imo continuo pelago prolapsa residunt.
Tendere iter vento tunc, et considere transtris
Iussa manus, duros donec laxata per altum
Retia corripiant scopulos; modo nulla resorbens
Arceat unda trabum, alterno vel flumine, cursum.
Incertum, quid pressa diu praedamne rigensne
Machina corripuit saxum: tamen inde morarum
Augurium grato nautae rumore salutant.
Extemplo, morsu postquam tenuere recurvo
Navigium, properant omnes deducere rete.
Ingens de prora recto axe stat ergata: circum
In numerum quatuor totidem vi ligna volutant
Delecti iuvenes; plantis firmique lacertis
Cannaba suppeditant bini venientia, quaeque
Explicat axis humi sinuosa volumina, bini
Expediunt manibus; vigilat per transtra magister,
Dictis attollens vires. Illi impete torquent
Exercentque trabes; animos celer halitus haurit.

Intumuere tori, fumat sudore caterva,
Itque reditque, rotas fremitumque ex ordine iungens.
Retia quum subito ductor speculatus ab alto
Inclamans dextras cohibet: iuxtaque natantes
Vix costis haesere trabes, nisuque pependit
Cymba, sudes aptare monet curvosque tridentes.
Fervens tum vero nautis simul emicat ardor:
Retia congressi summo certamine cuncti
Involvunt, mediaque rati resoluta reclinant.
X. Tot maris oblitos ultro et discrimina ludi,
Multiplici quod praedae fenus inhaesit hiatu,
Adspectare iuvat. Promptum est praediscere visu
Cortice quos molli celent arbusta colores:
Qui croceus, qui sit pallens, propiorve rubenti,
Quique rosae simulet speciem, cerasive nitentis.
Verum prodigium ferme, color optimus ille,
Si qua manus veluti iucundo molliter ostro
Fucat ebur, vel dulce micans vix subrubet infans,

V. 286–91. Quae hic digessimus coraliorum genera, ita vulgo nominantur: ***Giallo — Morticcio — Rosso scarlatto — Roseo — Cerasuolo — Carneo,*** vel ***Pelle d' Angelo.*** Hoc omnium nunc probatissimum, cuius uncia Argen. it. CCLV venit. Reliqua omisimus, quae omnia ad XVII genera recensentur.

Ante pudor violet quam lactea conscius ora.
Hinc numeros nautae faciunt et nomina: soli
Ductori ius assidue digesta tueri.

XI. Mox, ubi collectae vires, de more iuventus
Vela facit, fidensque alio traducere gestit
Cymbas: hinc laudes, illinc arrecta cupido,
Quod prima annuerit factis fortuna periclis,
Sollicitant firmantque viros. Iam ligna per aequor
Dant iterum, pronique iterum subvolvere funes
Orbe plicant replicantque vias: color ardet in ore,
Brachia et adductis livent et tempora nervis.
Nauticus insequitur clamor, laxantque trahuntque
Pone trabes, si forte rates nec plura legentes
Passa via, aut scopulos ductor sit nactus apertos.
Obliquant tentantque, vadis, iter omne, negatis,
Viribus innixi summis, pax nulla quiesque;
Et divos, quorum referunt cognomina puppes,
Voce vocant humili, trepidique in vota fatigant.
O quoties, quum saepe ratos spem credere ponto,
Elusit vano praeda expectata labori,
Nequicquam infectum foedus cursusque precantur!
Quattuor expletis, quum quinta advenerit hora,

Tum tandem variare vices et corpora somno
Sole sub ardenti, tacitae vel noctis in umbra
Missa levare cohors: alii, queis robore vires,
Succedunt, votique rei brevia omnia et aras
Lustrant qua datum iter. Caput his pro sorte pacisci
Aequum est, et prohibere nefas; quum retia saxis
Protinus accipiunt in procurrentibus alti
Urgeri; erecti plausu fremituque morantur.
Aemula successu exultans tunc undique pubes
Aggreditur: stridens iam volvitur ergata in orbes,
Expediuntque manus nautae, funesque ministrant
Spe propiore lucri. Mediis heu visa secundis
Rebus sors fluere, incoeptae et fiducia praedae.
Sensit enim frustrata manus iam murice acuto
Obnixas haesisse trabes, scopulive latebris.
Quid faciant? qua vi saxis illisa vadisve
Eripiant miseri? intactum nil ante iuventus
Dura pati linquit: crebro, praeeunte carina,
Ante rudens iacitur rapiturque huc pendulus illuc,
Retia si modo quassans extricare cavernis
Dextra queat, quam, quae rite experientia ponti
Nautis arma dedit, suetaque diu extudit arte,

Arripiant. Praesto pini est grave robur acerbae
Quae nempe tuditis conversas accipit alti
Formas; huic omni veluti dentalia dorso
Alterno passim aptantur firmi ordine clavi.
Ergo qua truncos capiunt sedisse caverna,
Arma ferunt, nexis vinclis suspensa per aequor,
Accinguntque operi, donec vi iacta magistra
Limoso extricent certantibus aggere clavis,
Et praedas, quae forte manent, in tuta reponant.
Sin vero obiectis caeco sub gurgite inhaesit
Cautibus impingens piscatrix machina, ductor
Diversa expertus turmae instrumenta capessat
Edicit, frangatque agitans capita aspera saxi.
Iussa facit: scopulos iam supra ferreus urget
Circulus: imposito gemit alto pondere rupes,
Responsantque specus, rabidum simul aestuat aequor.
Ictibus assiduis tandem convulsa fatiscunt
Scrupea saxa, rotetque morae tali inscia pacto
Ergata permittunt, resoluta ambage, rudentes.

V. 335-38. Cur huic instrumento vernaculum nomen *Sbirro* factum sit, facile intelligitur.
V. 348-49. Vulgo *Tortano*, qui XC circiter Chiliogrammatum, ut aiunt, pondus aequat.

XII. Hac insperata tandem mercede sequuta,
Quum iam ter quinos tantos sit passa labores
Turba dies, longorum operum refovere quiete
Corpora fessa licet. Cito colligere arma, ratique
Carbaseos aperire sinus, ventosque vocare
Dux monet, et nautis verbis gratatur amicis.
Fertur ovans, portumque petit telluris amore
Quisque suum, diversa prius lustrata retrorsum
Stagna legens: morsu iam cymbas anchora fundat.
Tum sylvas adeunt, vicina aut littora, mensas
Aggressi instaurare. Pyram de robore secto
Agglomerant mediam, susceptoque igne lebetas
Ingentes, laticesque parant. Iam caesa vitelli
Membra natant et dura ceres, famis unica dona;
Pars ollam lignis trepidam despumat; anhelos
Pisces pars cineri flammis assare sedendo
Suppositis gaudet, modo quos collegit arundo.
At simul extructas, oneratis lancibus, escas
Viderunt, rabiemque ex longo ventris acerbam
Invitat genialis odor, convivia curant,
Diripiuntque manu. Miscetur sylva tumultu
Laeto omnis; sonitum rupes et littora pulsa

Ingeminant, alacres et pleno gutture sorbent
Evacuantque cados. Tum demum corpora, vino
Vincta, solo somnus nudo complectitur altus.
O fortunatos nimium, queis taedia ludi
Longa novi brevis hac census mercede rependit!
Et vix sub dio nocti aequata otia, mensae
Fercula et exiguae reparant, laudesque magistri
Membra diu durata operi, atque in pristina vires.

XIII. Longe disparia heu miserae stant praemia genti,
Quae, penitus submersa, legens percurrit eoo
Oceano conchas, Indis solatia vulgo.
Iam fervent, pictisque effulgunt aequora cymbis:
Barbarico hinc instructus ope, illinc horridus ore
Coetus uterque adstat, iaculis metuendus et armis,
Atque popae, multo grege consectante, superbi.
Tunc simul accepit sonitum gens aere canoro
Piscatrix, capite obverso per caerula saltu
Volvitur in praeceps: non illi tecta tenaci
Corpora lorica, vitrei aut cervicibus orbes.
Nuda natat, conchasque manu comprendere certat
Forcipis instar, caeca pedes in praelia miscens
Brachiaque: exacuit fortes in pectore vires

Libertatis amor; letum nam triste paratur,
Ni superas, parta praeda, concedat ad oras.
Nec longum in medio tempus, quum praescia pallet
Turba metu, mitis quorum sententia cordi.
Nam pelago ut primum rediit piscator inanis
Multa fremens, glaucumque vagis caput extulit undis,
Exceptum immergunt: misero spes nulla natandi.
Queis tamen exigua quamvis fortuna peracta
Rexit iter praeda, coetus subito obvius omnis
Excipit exanimes pelago, fremituque salutat.
Membra patent laniata canum (lacrymabile visu)
Morsibus: atque aures, nasi et spiramina manant
Sanguinis imbre; cruor calcatur littore mixtus.
Non miseris docta properantia fata medela
Arte fugat, lymphisve imo stat vulnere sanguis.
Erumpunt contra voces, mediosque morati
Semineces, lituos et circum animosa tubarum
Aera cient; rapido dein una corpora flexu,
Picta genas, laceros gens et foedata capillos
Sollicitat, raucis reboat stridoribus aether:
Talibus invitant pretiis miserabile vulgus.
XIV. Interea, vada dum repetunt, cymbaeque frequentes

Stipantur, sensitque iterum grave pondus et ima
Arma mare, ad patrias iam lecta coralina sedes
Navigium virgulta vehit, passimque colenda
Tradit heris. Hinc daedalea nempe arte tabernae
Insudant operi: primum nam examina ramos
Feminea expoliant libro, discuntque colores;
Et ferris instructa manus partitur, edacem
Expertura dein limam, cursumque terebrae.
Fit sonitus: virgulta scabra rubigine nudat
Hinc radiis, pulsante rotam pede, concitus axis;
Illinc docta virum per dura sedilia limis
Dextra domat, teretesque globos operata coaequat.
Adductis stridet, terebratque corallia dextris
Arcus, traiecta et filo lapis aspera tundit.
Subtili en varias cestro cogente figuras
Fluxit opus: globuli, pretiosa monilia, inaures,
Armillaeque simul, miris et cornula formis.
Quin et caelatis gemmis portenta minutis
Multa vides: flores, conchylia, monstra, puellas.
XV. Nunc age: nec modo cymbarum, hic extrema petentum
Lucra, sequi pigeat demum spectacula. Rursum
Iam duce turmam urgente, dies noctesque perenni

Insomnes ludo redeunt; vix fenora festis
Iura negant tantum impune exercere diebus.
Ergo claustra maris sese per dissita mittunt,
Atque sinus inter scopulosque antiqua requirunt
Signa oculis. Eiecta vorat iam pertica linis
Piscatrix patulis, insano vortice, pontum;
Nec requies, quin vel redeant congesta rapina
Retia, vel prorsus, geminatis ictibus, omnes
Sentiat effoetas tandem experientia cautes.
Ast aetas si prima novis adolere reperta
Cornibus, et circum nondum iactare fluentes,
Seminibus cretis, tenero de corpore ramos,
Non prius haec armis tonderi arbusta magister
Cedit, quam largo pubescant semina foetu.
Quare iter in votis melius, qua flatibus aequor
Eurus agit: natura subest haec insita saxis
Scilicet, ut quae fronte plagae vertuntur eoae
Densa ferant, citiusque comas educere donent
Coraliis. Qua primum Indus regione salutat
Solem, fertur item, ora movens inolescere concha,
Et roseas quum, luce nova, micat aethra per undas,
Gemmiferos satiata sinus genitalibus auris,

Edere fulgentes, reserato carcere, baccas.
XVI. Sed sexto phoebes redeunt iam lumina motu,
Quum fessi rerum peragrant maris omnia circum,
Frigore et ancipiti horrescunt, cursumque recusant
Aequora: iam finem coeptis imponere tempus.
Subductis igitur proris, quae proxima, tangunt
Littora, et antiquis adeunt loca sentibus ampla,
Ne patrias remeent sedes sine pondere cymbae.
Festivis lucus resonat clamoribus; orni
Procumbunt pinique trabes, rapiente securi.
Hoc opus, ingentum nautis haec meta laborum.
Et iam solemnis, seclo referente, triumphi
Lux memor advenit, quum propter Echinadas olim
Christigenis turmas scelus expendisse, perempta
Classe, ferunt Scythicas, suavique rosaria cultu
Armorum Divae redolent devota potenti.
Tum simul arma legunt omnes, laetique facessunt
Iussa ducum; requies revocat, patriaeque remenso
Dulcis amor pelago. Drepanum illinc dissita classis
Iam subit, et leviter Tyrrheno illabitur aestu:

V. 475-79. Intellige dominicam diem primam Octobris.

Hinc aliae pariter forti freta remige naves
Saeva secat Taphri. Non insuper ulla laborum
Lentat iter facies: sed enim velocior euro,
Eminus electro pelagi fluitante sub undas,
Praecurrit fama, imo procul iam visa per altum
Lintea. Laetitia matrum chorus omnis anhela
Littoreas complere vias, atque innuba proles
Exceptura suos, qua, iactis pontibus, aequa
Plaustra trahit, gemino per stratum tramite ferrum,
Mulciber insultans spatiis, Castra usque vetusta
Polluti quondam, ut fama est, monimenta hymenaei.
Defixis inhiant, oculis, aurasque iacentis
Aequoris incusant. Tandem tetigere secundo
Flamine iam naves usae, sertisque decorae
Littora. Concurrunt omnes, variaque vocatis
Voce, tener quam fingit amor, mille oscula figunt,
Complexaeque fovent matres et vulgus inermum.
Illico et ingenuae nautae per gaudia pompae
Servati Superos promisso munere donant.

V. 493-94. Castra haec, quorum reliquiae sunt in littore maris, nobilja evasere secessu et consuetudine Alfonsi illius Magnanimi Neapolitanorum regis cum Lucretia ab Allanio. Extant adhuc tres angiportus Turris Octavae, quibus nomen inditum, *Orti della Contessa*.

GOSSIPION

GEORGICON

ARGUMENTUM

Ordinem dicendorum ducit I. Propositio totius Carminis. II. Gossipii excellentia. III. Divisio et enumeratio operis. IV. Fruticis Gossipii descriptio, multiplices eius species, et nomina praecipua. V. Ratio antiquitus servata, quo facilius externi hi frutices apud nos inolescerent. VI. Hinc digressio ad Pompeios iamdudum, sublatis Vesuvii cineribus, veluti ab interitu vindicatos. VII. Leges assignantur de locis eligendis, de serendi tempore, de plantis curandis, et de tempore messis. VIII. Excurritur in Aegypti laudes (quae primum, ut perhibent, extitit Gossipii plantarium) et paucis describitur Fretum nuper apertum inter Asiam et Africam. IX. Hinc commoda digressio ad Specum nuperrime effossum, quo pervius per Alpes transitus plaustris vi vaporis compulsis.

I. Quae sit Gossipii natura, quis hactenus usum
Cultus in humanum canentia stamina vertat,
Forsitan hoc primus meditabor carmine. Vati
In tenui lusus, tenuis non inde voluptas;
Si modo, quae nunquam Latii docuere camoenae,
Indiciis monstrare queam novus ipse vetustis.
In parvis spectanda magis miracula pandit

V. 1. De Gossipio, quod Itali *Cotone* vocant, haec Plinius, 19, l. 2. n. 3. «Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossipion vocant, plures Xylon, et ideo lina inde facta, xylina. Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave praeferenda. Vestes inde Sacerdotibus Aegypti gratissima.»

Auctifico natura sinu; quamquam, abdita crassis
Sensibus, incassum miserabile vulgus abhorret.
Quare age quos natura dedit, quos dextera iunxit
Ingeniosa modos, et miram iam extudit artem
Conspexisse iuvat, iuvat et perdiscere quî res
Altera in alterius coniuret foedera amice.

II. Sponte sua, vel humus manibus bene culta quotannis,
Educat, atque alias alibi tibi parturit herbas
Et fruges, alimenta parans. Vix ulla fatiscunt
Gramina, quae velent apto tibi corpus amictu:
Sic visum Superis. Ex quo labor arva coegit
Agricolis parere suis, vix una reperta
Cannabis et lini siccato e cortice fila.
Exigua non ista tamen mercede domantur,
Nec tali est omnis tibi fertilis ubere tellus.
Utraque qua cingit spatiis brevioribus arcta
Zona polos, mediasque plagas ubi largior ambit
Altera quae nunquam glaciem formidat et ignem,
Linea dumtaxat fas hic et semina terrae
Credere cannabina: haud alibi tolluntur in auras.
Gossipiis at laeta magis natura ferendis;
Difficilis non ullus ager, non ipsa sequuntur

Tarda manum, nec longa sibi medicamina poscunt,
Et quoscumque velis iniussa vocabis in usus.
III. Tu modo iam fruticis generatim discere formam
Aggredere, et mecum vires exquire latentes
Seminis, innataeque modos propaginis omnes.
Multiplices quae sint species, quae nomina cuique,
Quique abilis sit ager frutici, leviorve creando,
Accipies, et cuncta equidem tibi carmine promam.
IV. Qui longam fruticum seriem legere vocantes,
(Seu sexus diversus adest, ut norma legendi,
Inclusus vel foetus adhuc in corpore matrum,
Non ulli cotylae, geminaeve unive cohaerens)
Malvaceum, docti speciem, dixere vel ipsum
Gossipium. Herbaceo e cauli detruditur: ima
Levia, summa pilis horrent tegumenta tenellis.
Hispida tergemino gliscit circum ordine lamna,
Oblongis totidem foliis viridantibus apta.
Florea consurgunt calicique simillima passim

V. 38–42. Herbariae artis periti in plantis ordinandis diversam sequuti sunt methodum. Sunt qui, auctore Linneo, uti characterem Sexum elegere, idest procreationis organa, singulis attributa. Recentioribus vero, auctore Iussieu, commodior probatur norma, ex Germine desumpta seu foetu, quod ipsi ῎Εμβρυον vocitant. Ordine autem plantas omnes in *Acotyledones, Monocotyledones* et *Dycotyledones* distribuunt ex quodam involucro germinis, Cotyledone nuncupato, quo vel plantae penitus carent, vel uno aut duplici potiuntur. Nobis tamen, vocabuli proprietati melius consulentibus, pro cotyledone vocem Cotylam visum est usurpare.

Germina, denticulis veluti circumdata quinis.
In quinos persaepe sinus spatiatur hiatus,
Qua felix trahitur semen viridansve nigrumve.
Subrubea aut flava tectum lanugine; et intus
Quadrifida ignavum cohibet modo cellula semen,
Emissura novam in faciem. Non omnibus una
Gossipiis haec forma subest: quin seminis ipsum
Immutet natura genus, variare libenter
Luxurians didicit parili de semine prolem.
Ut sata progenies communi plurima matre
Differt ore, et cuique datur sua gratia visus,
Natorum vario mater tamen emicat ore;
Haud aliter quos terra parit lanugine pingues,
Longo inter sese frutices discrimine signat,
Caudicibus modo, diversis modo floribus, atque
Mollia quo vario fucantur fila colore.
Hinc data multiplici iampridem nomina plantae,
Atque alias ultro voces signamus ab oris.
Sic promptum hirsuto plantam praediscere caule,

V. 66–73. Nomina, quibus vulgo vocantur diversae Gossipii species, sunt: *Hirsutum, Arboreum, Herbaceum, Vitifolium, Tricuspidatum, Religiosum, Indicum:* nonnulla ex colore sumuntur, uti *Album, Rufum, Roseum;* barbara omnino sunt, quae denotant peculiares utriusque Americae species.

Et si qua arborea facie se tollit in auras,
Suetas herbaceae formas oblita pusillas.
Invenies alias foliis simul ora referre
Vitis; obit reserato alias in flore tricuspis.
Est et quae sacrum nomen sortitur; eoa
India nec nomen renuit; quare Indicus audit
Ipse frutex, quem terra parit Gangetis opima.
Donat et occidua, immensas ubi iacta per undas
Aequoris, in medium tellus perstringitur arcum,
Huc illuc discreta, feris notissima ventis;
Ac ubi telluris tractus porrectus in austrum
Oceanum dextra, laeva tenet ardua saxa,
Qui primus nostro penitus divisus ab orbe
Virginea templum posuit pietate merenti.
V. Ne tamen has species natali inolescere tantum
Crede solo, atque alibi vim degenerare priorem.
Nam quamvis natura modos et foedera ponit
Certa locis, ut quaeque ferat sua munera tellus,
Adspicies alibi laetas pubescere et ipsas,

V. 74–76. Hac periphrasi Insulae denotantur Americae superioris ad sinum Mexicanum: vulgo dicuntur, *Isole Sopravento et Sottovento.*
V. 77–80. Scilicet Peruvianum Regnum, cuius caput *Lima* est, natale solum Sanctae Virginis Rosae.

Ni subito ignorent primaevam semina terram.
At veluti furtim affines transmissa per agros
Atque novis consueta plagis, tum germina trudent,
Miratura suos alio sub sidere foetus.
Hoc equidem pacto demum canentia lucem,
Seminibus positis, hauserunt vellera, et ultro
Excepit frutices alieni gratia coeli.
Semina nam prius austrinos iam passa calores,
Mox Libyae sensere plagas, mox Helladis oram,
Et Melites experta dein, cultuque recenti
Trinacrius ditatur ager, ditatur et ipse
Bruttius, atque novus Pompeianae incola terrae.
Vidi egomet, qua tetra fero vastata Vesevo
Se tellus facili subducit ad aequora clivo,
Omnia lanigeris circum florescere plantis.
Heu facies rerumque vices, et tempora versa!
Hic Pompeia palus, hic quondam grata Salinis
Herculeis statio, queis fecit nomina Petra
Herculis, haud procul irrigui lata ostia Sarni;

V. 102–104. *Palus* erat prope Pompeios: de ea loquitur Colum. 10, 135. *Salinae,* seu locus, quo sal parabatur, circa Paludem; dictae *Herculeae* a *Petra Herculis,* nunc *Scoglio di Rovigliano,* Pompeios inter et Stabias. Cf. Ros. Diss. Isag. p. 30.

Et celebris medicis Oplontis proxima thermis,
Nuceriae atque insignis ager, dum moenibus altis
Hic Pompei, dives opum urbs operumque, manebant.

VI. Sustulit o tandem iam tot post secla ruinis
Antiquis veneranda caput, quas ipsa, Vesevo
Pumicibus superante, dedit; iam vescitur auris.
Sed vacuas utrimque domos et muta viarum
Strata stupet, summique sui velut inscia fati,
Egressos nuper cives e moenibus haerens
Heu expectat adhuc! Oneratae merce tabernae,
Atque suos expectat heros per tecta supellex.
Hic modo summano vino fragrantia, dulci
Unguine cernis adhuc modo passim pocula, et offas
Melle saporatas, et quae decora alma puellis
Candida cingebant demissa monilia colla,
Vinclaque moerentis latebroso in carcere sontis.
Comprime iam gressum, cito ne discede viator.
Xystus adest, quam grata viris solatia quondam,
Porticibus qui arcton largis excepit opacam.

V. 105. Oplontis, nunc *Torre Annunziata.* Antiquae Thermae paucis abhinc annis detectae ad pristinum usum commode rediere.

V. 108. De Pompeis, ad quos digredimur, minuta invenies apud N. CORCIA *(Storia delle due Sicilie*, V. II.) de antiqua urbe iam ex parte detecta doctissime disserentem.

Inque adytis secreta domus, quam moesta puella
Multa movens animo saepe incomitata petebat,
Atque dies immota morans consumpsit inertes,
Prospiciens gratis halantem floribus hortum.
Infandum, qua vertis iter, quam multa columnis
Tecta, theatra vides et templa adsurgere centum;
Et te monstra, duces et caeci praelia fallunt
Martis humi picta, et vestes collecta fluentes
Agmina, virgineo choream ducentia ritu.
Tam pulchre parvis ludunt asarota figuris!
Florea maeandro conserta aulaea recurrunt
Parietibus; sistunt spiranti marmore Divi.
O quo, Crispe, tuos casus meditatus amore
Atria cerno, domos patulas sedesque relictas,
Antico lustrans Faunos in poste Choragos,
Atque intus furiosae oculis simulacra Dianae
Cum nymphis, et multa viro tam digna merente,
Et Cervae dulci viduatam aspergine concham.
Anne memor sedes repeto, tua, Pansa, reposta
Otia? quam recte nunc obvia rudera spectas

V. 140. Subaudi *Acteona.*
V. 143. Domus Pansae, uti rudera ostendunt, e regione erat Templi Fortunae sacri.

Sacra Deae, subitis praesenti rite triumphos
Vertere funeribus! Te, Publi, an maxime Tulli,
Te memorem? aut, sacra victus formidine mentem,
Te, tua quae perhibent, Diomede, tecta pererrans?
Tu fueras forsan, primo hic in poste repertum
Quem multa, heu pietas, incensa cadavera cingunt.
An tua, Crasse, levi labentia balnea lympha,
Anne domum memorem? Tum vero saevus euntem
Circumstat, lacrymisque horror me tardat obortis.
Scilicet hic sortem repeto miseratus iniquam
Et matris, gnatique sui geminaeque sororis.
Amplexae patuere simul, patuere prementes
Oscula, dum querulas voces frustratus hiantes
Corpora iuncta cinis tenuis compressit in igne.
Hinc via funereas iuxta quae ducit ad aras:
Flebilis en iterum lapides tectura sepulcri
Arbor adest. Certe tibi, parva o Arria, vobis,
Velasi et Salvi, tibi et o sine nomine tecte,
Quisquis es, arcanum muliebris pignus amoris,
Calventi Labeoque, tibique Tyche Nevoleia,

V. 162. Inter Pompeiorum sepulcra, quae summatim attingimus, mirum illud invenies, cuius inscriptio «*Servilia amico animae suae.*»

Et vobis, quos pulvis adhuc vesuvinus inurget,
Invidisse reor vestra de stirpe superstes
Tum genus, et quotquot subito per saxa per ignes
Vitam exhalantes patriam (miserabile visu)
Eversam stupuere suis considere flammis.
Eheu crudelis quam multa in imagine luctus
Restat, summa dies urbis! Quin protinus ipse
Cuncta oculis equidem, sineret mens territa visu,
Perlegerem: meminisse horret tot funera tantum.

VII. Ergo gradum hinc effer mecum, lateque viator
Inspice quas alias, Pompeis proxima adustis,
Fundat opes tellus. Hic iam modo discere tempus
Quem cultum coelique plagam, et quae postulet arva
Nos penes, ut fruticis proles inolescat honesta.
Sunt loca Gossipio laetissima, crede colonis,
Mollis ubi, at non pinguis humus: dehinc calculus absit,
Nec ieiuna nimis suspiret glarea lymphas:
Frigora devitet campus, sitque editus austro;
Aptior at ponti qui auras respiret apricas.
Quare vere novo, quum iam non amplius ullus
Cogitur in glaciem rigidam intractabilis aer,
Et patriis excussa plagis se fidere pennis

Audet in extremum tendens vaga littus hirundo,
Vomer verset agros, et glebas putris inertes
Rumpat humi et rostro sulcos iam pandat arator.
Integra tum tria communi memor occule sulco
Semina non variis spatiis, hac limitis arte
Ut medio ter ferre pedem vix tramite possis.
Mox pluvias orate leves, vel saepius ipsi,
Agricolae, in bibulos lymphas inducite foetus.
Namque suum quum sexta dies compleverit orbem,
Seminis, eruptis tunicis, genitale per agros
Fervet opus. Fibras inverso vertice radix
Submittit, directa petens: sin devia fibris
Semita, et officiant secretae saxa latebrae,
Si qua via est, circa radix terram ambit apertam.
Altera sed postquam renovatae cornua lunae
Apparent, laxatque sinus et parturit almum
Tenuia commissum semen virgulta sub auras,
Sarculus exiguas plantas purgare bicornis
Incipiat, cautusque legens defringat inanes.
Et iam ridet ager, late seges emicat alta.
Aspice, messis alat quaenam spes grata futurae
Agricolam, quum, aurae placide fluitante susurro,

Compositas horrere fibras, atque undique centum
Se inter misceri nulla vi arbuscula cernit.
Ilicet haud aliter laeta spe fervidus ardet,
Ancipitis qui martis ovans discrimine primo,
Gaudia et extremos secum ipse volutat honores.
Ast ubi Gossipinis calamis iam fluctuat omnis,
Luxuriatque comas elapsus campus in altas,
Ne nimium pius auctor amor tibi, rustica pubes,
Parcere forficibus tandem persuadeat: imo
Quod natat huc illuc summum concide flagellum,
Aut uncas molire manus in brachia circum.
Haec facilis iactura bonum vertetur et ipsa
In foenus, siquidem quae vis latet indita trunco
Fortior erumpet tenero, ramosque retrudet,
Pluribus optatam facturos fructibus umbram.
Fallor ego? quam multa, viden, motantibus euri
Flabris, alta virent concussi hastilia campi,
Et tumidis villosa glomis quae copia pendet!
Et iam olim nitidam quum, vere cadente, iuventam
Exuerint, pallentque glomis arbusta reclusis,
Tunc bonus indulge frutici, tam dura ferenti
Sole sub assiduo tenerae fastidia vitae.

Non ullos latices arenti sufficit arvum;
Si quos servat humus, cupido tamen ore resorbent,
Repentes simul ac plantae sensere dolosae.
Ergo ne effossis stet iners tibi lympha latebris,
Agricola, aut vicina palus: hinc porrige rivos
Mane novo, et fessus quum sol pallescit in undis,
Praecipue tum crebra leves manus irriget imbres.
Hac tandem mercede, solum ni ferre recuset
Ruris opes, fovitque boni clementia coeli,
Septimi ab integro quum mensis coeperit ordo,
Messis adest: tumidi iam pandunt vellus hiantes
Folliculi, interior flavescit pendula bombyx.
Adgredere, o magnos dudum perpesse labores
Agricola, extremos; tempus namque imminet anni.
Te sine defessum felicia prata metentem,
Auxilio puerique levent teneraeque puellae.
Nec mora enim: patulis certatim laeta canistris
Occurrit iuvenum manus. Exaudita legentum
Carmina vicini repetunt popularia colles,
Carmina quae mittit facili modulamine cantus
Parthenope, patriae indulgens clamosa loquelae.
Interea sortita vices diversa iuventus

Expedit in cistis lanas bombyce latentes.
Cultor agri medio concursans agmine et ipse,
Doctus iter, quo ferre pedem, meliusve referre
Admonet, ac, vento pluvio impendente, rapaces
Adcelerare manus, iterum ne lecta tumescant
Gossipia, et bombyx fervescens pullulet intus.
Ipse iubet, sudum nactus, digesta patentes
Pandere per campos biduum, dextraque canistri
Versat opès, purgat paleis, et ventilat auris.
Ergo quum ancipiti redeunt iam frigore ruris
Otia, post ubi phoebeos aequata moratur
Libra dies, squalent viduati frugibus agri
Gossipinis, doctosque glomi sub tecta reposti
Expectant digitos, dum fila sequentia ducant.

VIII. Ast qui nos tanto donavit foenore? primo
Unde boni frutices sumpsere exordia cultu?
Prima licet, famam repetens ab origine, fili
Textilis eous pridem iura arroget Indus,
O tibi, spreta diu, rigui gens accola Nili,
Tanta (haud falsa loquor) veteris stet gratia facti.

V. 271. Vide Plinium, *loc. cit.*

Tu tellus sine nube ferax plantaria prima
Invextî late, Phario dum forte manebant
Incolumes solio reges; tunc inclyta rebus
Fama fuit, sociaeque tibi commercia vitae.
Qualis, per longam subito cui corpora noctem
Procumbunt, segnique iacent resoluta sopore,
Quum leti os imitata quies complectitur artus
Obstupet excussis tandem torporibus, atque
Inscius adversas haeret per luminis auras;
Haud secus ignavis iam tot volventibus annis
Continuo mirata vices, adsurgis inerti
Vita iterum: meliora manent te fata merentem.
Avulsus mihi testis adest iam funditus Isthmus,
Hactenus Arabiae meta et Mareotidis undis,
Regis opus; non ausa tamen dum regna vigebant.
Adgressos, cymbis tentandam, ducere fossam

V. 285. Intellige Fretum paucis abhinc annis effossum, antea Isthmum, qui limes erat Arabiae sinus, et Mediterranei maris. Ut antea Isthmus, sic hodie Fretum a viciniore urbe nomen habet vulgo, *Canale di Suez*. Quam si antiqua voce *Arsinoen*, uti infra invenies, nuncupamus, nitimur certe Plinii auctoritate (H. N. l. V, c. IX; l. VI, c. XXIX, et l. XXXVI, c. XI.) Cf. etiam Ortelii Thes. Geogr. s. v.

V. 287-290. Haec Plinius, l. VI, c. XXIX. H. N. «Navigabile alveum perducere in Nilum, qua parte ad Delta decurrit, LXXII M. p. intervallo (quod inter flumen et rubrum mare interest) primus omnium Sesostris Aegypti rex cogitavit: mox Darius Persarum, deinde Ptolemaeus sequens, qui et duxit Fossam latitudine pedum C, altitudine XXX in longitudinem XXXVII M. d. pass. usque ad *Fontes amaros*. Ultra deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto, quam terra Aegypti.»

Vix mediam rubro pelago Niloque fluente,
Nunc ubi bisseni fontes spatiantur amari,
Vis ingens ponti temere terrebat inundans.
Quod non posthabitis primis industria coeptis
Tentat opus? Iussas nuper discedere terras
Vidimus, effosso simul immiscerier alveo
Binaque iam maria in se lapsa residere tuto.
Pyramidum septeni apices stupuere, recentum
Indomitum stupuere hominum genus utraque semper
Hac coniuncta tenus regio: modo longius illinc
Pulsa Asia, hinc omnis prorsus circumflua ponto
Africa, nacta novam, immanis velut insula, formam.
Iamque per Arsinoen crebris fretra versa carinis
Mutantur merces, vectant quas vela vel humor
IX. Ignipotens cursante rota. Sed postera fama
Italia nunquam, meritis quaesita, recedet.
Alpibus ecquis enim nobis certabit apertis?
O patria o nunquam tibi digna superbia desit
Sumpta recens! memorem pertentant gaudia mentem,
Quum repeto quae vidi egomet, si visa loquenti
Verborum cautus veterum modo suppetat usus.
Post ubi secedit dextra ima Segusio valle,

Raraque per sylvas fugiunt magalia, scandunt
Tramite ferrato compulsa vaporibus altum
Plaustra supercilium barathri. Mox cominus atque
Eminus inspicies montanas surgere raptim
Frontibus imparibus, simul et vanescere moles.
Iamque globis mixtae, revomit quos Mulciber undans
Ima petunt nebulae, lateque per aethera sistunt.
Cuncta silent: celeris tantum rota concita currus
Et lento sonitum dat repens Duria cursu.
Iam patet aetherei montis, cui nomina fecit
Cottius, aeternis facies concreta pruinis.
Hinc cryptam adventare monent procul aggere in uno
Montibus effossi silices, ut inane per Alpes
Staret iter. Cursu laxato hic utraque ferri
Obteritur magno stridens sub pondere lamna.
Vestibulum ante ipsum tubicen dat signa; cavernae
Cornua respondent, sonitumque iterata volutant.

V. 320. Cottiae Alpes, quae Gallias ab Italia dividunt, nomen accepere a Cottio quodam regulo, qui tractum Alpium alias pene invium, structis molibus, transitu commodiorem reddidit. Cf. Plin. 30, 20, 24, et Tac. I. H, 87.

V. 321. Si voce Crypta utimur, Senecae exemplum sequuti sumus, qui Ep. 57, l. VIII, Cryptam nuncupat pervium specum antiquitus effossum sub monte Pausilypo, haud procul Neapoli, per quem Puteolos via compendiosa itur.

V. 322. Alpinam Cryptam ex Italia ingredienti, dextra patent cautes et saxa Alpibus extracta, quae velut in montem succrevere.

Tum vero arrectae mentes spectare per umbram
Impositas coelo cautes, sublime cacumen,
Atque specus aditum patefactaque viscera. Monstra
Prospiciunt trepidi pueri, pallentque puellae.
Iamque subit reboans speluncam machina, secum
Retro catenatis plaustris: tacuere tuentes,
Insinuatque pavor. Ferimur per opaca viarum
Principio, quandoque redit spirabile lumen,
Qua latera exiguas tereti dant ore fenestras.
Nam flexum exesis utraque in fronte cavernis
Vestibulum imposuere viri, ut curvamine clivum
Molliat. Hoc demum exacto nigrere latebrae
Iam penitus coeptae, mollesque tepescere venti.
Quale per incertos iter est caligine lucos,
Quum coelum involvunt tenebrae, et per nubila noctis
Parva micant tremulis radiis fugientibus astra.
Scilicet alterno, geminatur enim, ordine flamma
Moenia pone, micat laternis clausa: sub ipsas
Exesi loculi, vigil unde immotus eunti

V. 336. Molliorem ascensum facturi ex utraque fronte Alpium, Architectones effossae Cryptae adiunxere Vestibulum facili curvatura formatum, structis instar specus moenibus fenestratis cum fornice. Utrumque vestibulum vulgo dicitur « *Galleria di Raccordamento.* »

Curriculo custos bicolor signum explicat alte.
Iamque fatiscebat medio spelunca recessu
Immanis, fumusque focis elapsus ahenis
Abdiderat retro longae fastigia rupis,
Quum medium tubuli geminatus sibilus actum
Signat iter, simul ascensu rota tarda tenetur:
Tum spectare viam nobis data copia. Frontem,
Infandum, quo vertis hians, stupor urget, ubique
Te nova monstra tenent, penitus miracula rerum.
Hinc nam, qui bino pandit se vastus hiatu,
In praeceps utraque specus subsidere parte
Cernitur, atque arcta tandem se claudere fauce,
Quo vix sol longe radios inducit; at intus
Nocte situs tarda. Praeruptas concavus Alpes,
Sectilis aerio suspendit fornice murus,
Unde fluit tenuis rimis rorantibus humor,
Pumicei ut sudor saxi. Sed vena latentis
Dives aquae caecos simulatos arte canales
Caeca subit, medioque simul prolabitur alveo.
Nec deest (inventis nuper concordia tanta,
Tantus amor rebus) species non vana cubilis
Interior, quo signa volant, compendia vocum,

Per tensa, electro fluitante interprete, fila.
Haec aderant, patriaeque vices mecum ipse priores
Haerebam reputans: subito saliere tepentes
Aurae, et signa ferunt patulae gratissima terrae.
Tum vero Poenum memini, quum devia primus
Haec iuga inoffenso est ausus transcendere cursu.
Visus adesse mihi mox vir Cyrneus, acumen
Obsidens, nostrisque inhians dominarier oris.
Eheu sternit iter nimium nunc proxima Gallis
Italia! Alternae coeunt quae in foedera dextrae,
Ensibus aptantur nunquam, nec sanguine lucent?
Quod ni, pro pudor, Allobroges tam laeva dedisses,
Itala gens, Gallis, effossum tu una teneres
Montis iter: modo vestibulum tenet hostis in armis.
Haec inter rursus declivi tramite plaustra
Luce sub incerta foribus tardata propinquant.
Carceris haud aliter delapsus fornice tetri
Illico testatur laeta nova gaudia fronte:

V. 372. Scilicet Hannibalem: licet enim nonnulli, auctoribus Livio et Polybio res gestas diverse narrantibus, in diversas abeunt sententias, plures tamen reperies, qui montem Cenisium, uti locum affirmant, qua Poeni duce Hannibale Alpes transiere.

V. 374. Napoleo I natus in Cyrne insula, eadem quae Corsica, graeca appellatione.

Dulcius olli aurae nusquam risere nitentes,
Tum primum prodire rato prope lucis in auras.
Ignipotens sed enim latebras iam machina linquens,
Allobrogum, tereti cursu, propiora petebat,
Hactenus haud ulla fama loca nota per orbem.
Insequitur stridor lituum; vitreisque fenestris
Submissis spectare iuvat, quam millia circum
Finitimûm studium visendi monstra reductis
Vallibus excierat; iuvat almi lumina solis
Visere, et albentes, umbris cedentibus, Alpes.
Hic diversa solo, officio iam functa, iacebant
Multa gigantaeum ausa novum Instrumenta laborem:
Quod cautes currente rota cito perforat imas;
Aera vel quod retro velut pulmonibus haustum
Immittit, reditumque negat, dum pondere rupem
Pressus et ipse premit, tubulis motantibus, aer.
Vel quod rupis aquas operi succedere cogit:
Ventigenum nec mirum aberat solamen in antro.
Iam sordent desueta manu, tamen aspice quale

V. 390. Nempe *Modane*, parvum oppidum in finibus Allobrogum.

V. 396–403. Quae ingentes et mirae prorsus Machinae paucis indicantur, ita audiunt penes Physicorum peritos « *Perforatrici, Compressori a tromba, Compressori a caduta d' acqua, Ventilatori.* »

Robur adhuc viresque ostentent arma priores.
Ut qui iam senio gravior, satiatus et armis
Fronte gerit, laetusque notat vestigia pugnae.
Hic data meta viae: quoniam nos frigus adegit,
Proxima ieiunos Statio solatur opime.

V. 409. Si Statio dici potuit locus ubi morabantur homines, iumenta et vehicula cursui publico destinata (Cf. Inscr. in lamina aerea apud Murat. 1015, et Morcell. de Stil. Inscript. Lat. T. I, p. 421) tuto eadem vox usurpari poterit ad locum denotandum, quo plaustra morantur, vaporis vi compellenda ultro citroque.

ERGASTICON

ARGUMENTUM

I. Resumitur argumentum de re rustica, atque instrumenta describuntur tum ad glomos seminibus secernendos, tum ad stamina mollienda. II. Textura ac novae machinae attinguntur; votis subiunctis pro copiosiore per Italiam Gossipii plantatione. III. Inde excursus in ultimum civile bellum Americae, quo tempore Gossipii commerciis laboravimus. IV. Huic tandem altera digressio adiungitur in Maximiliani interitum, Mexicanorum electi Imperatoris. V. Conclusio et dedicatio Carminis Ioachimo Limberti Florentinorum Archiepiscopo.

I. Hactenus arvorum partes et munera prompsi.
Carminis electi quae pars est altera nostri,
Iam nunc armorum ingeniis, si musa sequatur,
Nec locus hic deerit; quonam nempe ordine stamen
Dextra domet, notosque dein depectat in usus.
Ergo focos iuxta tepidos, quum cortice secto
Iam patuere glomi, quos nec satis explicat aestas,
Undique tecta petit, propriis adscita magistris,
Artificum diversa cohors, puerique senesque,
Succeduntque operi, manibus nota arma parantes.
Nunc age: si formas ultra viresque loquelae,
Armorum valeam speciem signare, frequentes
Disce modos; hac forte tenus praestantior illis

Me latuit, nec culpa mihi. Ergo rite cylindro,
Sit tamen inter eos spatium, compone cylindrum:
Extra ambos adiunge simul; dumque ergata dextra
Mordicus axe rotans alienos implicat axes,
Quisque suo adversos eat axe cylindrus in orbes
Interior, si quid praebes, hausturus hiatu.
His armis instructa cohors, sortitaque munus,
Mox ubi consedit transtris patiensque laborum,
Hac primum arte glomos iam duro cortice nudos,
Implicitum fibris cogit seponere semen.
Dextra movet, qua vectis adest, revolubile ferrum;
Quos postquam acceptos motus dedit ipsa cylindris
Ergata, et internos geminato concitus axe
Orbibus obversos orbes incepit uterque,
Laeva glomum, qua vix spatium breve distrahit ambos,
Prompta locat. Nunc quale, viden, det machina donum!
Nam simul ac stamen medium accepere cylindri,
Absorbent, pressumque alio discedere certant.
Interea quae mixta glomis transire meatum

V. 14-19. Haec Machina, quam adhuc adhibent nostrates, vulgo dicitur *Manganello*: delineatam invenies in libro, cui titulus « *Manuale delle Macchine per isgranellare il Cotone per* A. CAVALLERO, Tav. I, Fig. I. »

Semina nituntur, nimis arctus longius ire
Ipse vetat, retroque sinit secedere lapsa,
Agricolis latura novos cum foenore foetus.
Nec requies: quum prima glomis extricat opertis
Semina, non alios amplecti est machinà segnis.
Stamina cuncta adeo tandem glomerata cylindri
Absumunt, replicantque vias, rapiuntque voluti
Gossipinas alio celeri vertigine moles.
Qualis, ubi oblongo rupes se findit in alveo,
Lympha scatet, seseque premit, seseque tumentem
Implicat, et facili consistit spumea cursu.
Haec inter, dum vectis agit, dum mobilis axes
Vertit et assiduo rota tectum murmure complet,
In numerum attollens voces hilare agmen et exlex
Concinit, et dulci solatur taedia versu.
Vellera sed celeres iam cuncta experta cylindros
Convectare monent alio collecta magistri:
Sordet enim atque imis filum canescere fibris
Nescit adhuc. Memor haec etiam nunc concipe dicta,
Quo pacto speciem vellus depromat honestam,
Ore nivem simulans. Calamis constructa supinis

V. 53-58. Penes nos *Archetto* audit.

Fingito, quae crebrum praebent tabulata foramen.
Gossipii his super iniectos extende maniplos.
Mox ubi curvatum, nervis tendentibus, arcum
Laeva tulit medium, nec non breve dextra bacillum,
Cui lateri inseritur medio dens unus et alter,
Talibus huc illuc armis adcintus inertes
Percute, et implacido versato turbine fibras.
Dentibus excusso vis est haec insita nervo
Scilicet, ut paribus tremor idem viribus imas
Gossipii vibret penitus, tentetque latebras.
Et iam strata manus ut messis sensit euntes
Subsequitur tremefacta fibris, turgetque volatque
Mille per errores; tandem in se fila residunt,
Nacta viam. Quandoque nivem sic nube caducam
Cernimus, et lente lapsam canere per agros.
At qui Gossipii fibris exilis inhaeret
Pulvis adhuc, paleaeque leves cribrum inter agendum
Accipit, et calamis infra transmittit hiulcis.
II. Sed nunc his actis superat pars ultima, lectum
Texere et humanos extundere stamen in usus.
Hic labor, hinc foenus liceat sperare colonis.
Forsan et hoc (quamquam novi quam dicere magnum

Carminibus sit monstra, novas rerumque figuras)
Adgrederer, si inventa tamen portenta viderem.
Audieram; sed enim vatem nil missa per aures
Sollicitant; dictis praestat componere visa.
Quare age: Gossipii lubeat spectare tabernas,
Hanc etiam si tantus amor tibi discere partem,
Et late vestiga oculis. Non amplius illic
Cernere erit gravido ducentem textile fuso
Stamen anum, strictis dum mordet pensa labellis:
Aut lateri compressa colum quae garrula summis
Tortum stamen agit digitis, humectat et ore.
Invenies alibi, radiis qui donat acutis
Fila manu, alternis pedibus vim iungit et urget,
Filaque dispensat subtexta sequentia filis.
Ingeniosa novis dudum instrumenta figuris
Artificum frustrantur opus: vapor igneus atque
Supplet aquae vis per tubulos compressa voraces.
Hinc coriis celerare vias, hinc longa volatu
Trochlea docta ciere rotis motumque vicesque.
Staminis hinc densatur opus, dum pectine dentes
Expediunt telas arcano pondere pulsi.
Quin etiam ipsa monet sapienter hydraula vel humor

Pressus humi calidus filum depingere flores,
Atque hederas, et poma suis pendentia ramis,
Milliaque attonso crispove animalia villo.
Accipe quo tamen interea concussa rotarum
Murmure tecta fremunt, quot voces longa volutant
Atria. Desidiae non hic locus: emicat una,
Quae patiens operum fundit sua munera, vita.
Tu modo tam parvae pretium perdiscere plantae
Ipse potes; tenui labor insumendus, at unquam
Non tenues comitatur opes et commoda vitae.
O ubi dulcis agros alienis mensibus aura
Veris alit, nec dona negat gratissima tellus,
O qui Gossipii fruticem persuadeat almum
Largius agricolis nostrae committere terrae!
Non adeo extremos Italus properaret ad Indos
Semina quaesitum, nec fili damna timeret
Textilis, exercens dubio discrimine sortem.
Gossipinas equidem longo sordere tabernas
Pulvere nos ipsi, et ducti commercia fili
Vidimus heu nuper nostris languescere terris.

III. Artificum quae causa manum protraxit inertem?
Quattuor (haud ignota loquor) protracta per annos

Bella stupet memor orbis adhuc stragemque luemque,
Quem primus Ligur, occiduos iter ausus ad Indos
Detexit: nomen posuit post alter ab illo.
Tot penitus subversae urbes, operumque labores,
Vorticibus qua mille rates, qua mille voratae
Ignibus, humano spumantes sanguine late,
Gossipinis alias onerati frugibus agri,
Pro pudor, excidii superant monimenta nefandi!
Serpsit saeva lues, qua mars defecit acerbus.
Hoc erat, heu facinus, quod tot terraque marique
Millia procubuere virûm centena vicissim,
Ut servile iugum totidem, miserabile vulgus,
Exuerent? Quamquam ô! miseros spes lusit inanis.
Inde novi damni labes: nam viribus ex quo,
Seposita tandem fraterni caede tumultus,
Europam terrere novis res Indica coepit,
Conscius ex illo, Cyrneo sanguine cretus,
(Gallia quo duce toto iterum stetit arbitra mundo)
Imperii iam frena parat victricibus armis.

V. 130. Compertum est in ultimo civili Americae bello quadragies centena millia hominum occubuisse, ut totidem servitia liberarentur.
V. 136. Napoleo III.

Hinc iterum caedes, iterum crudelia belli
Funera! fraterno sinuosa per aequora terrae
Sanguine foedatae, queis contra plurimae ab undis
Elatae passim respondent insulae in arcum,
Diverso notae vulgo cognomine venti.
IV. Ah iuvenis, sate praeclaro tot sanguine regum,
Proiice sceptra manu, nimium ne crede ferenti
Munera, ne nimium gaude popularibus auris.
O si non alius poterit de gente tuorum
In tantum proavos unquam spe tollere laeta,
Parce genus scelerare tuum, miserere tuorum:
Sanguine, casurum tecum, mercabere regnum.
Infelix, solio prohibent te sistere fata.
Quos gemitus fremitusque, Istri prope littora, tollet
Regia! vel quantum, iuvenis miserande, vicissim
Funus aget gens cara tibi, quum muta videbit
Navigium, quod magna animo te fata moventem
Appulit Oceano, moestis insignibus oras

V. 140. Intellige regionem Mexicanam quae hic indicatur ex incurvo sinu, atque insulis e regione positis; harum iam mentio occurrit, v. 74–76. (p. 33).

V. 152. Nempe Viennae in Austria.

V. 155. Fama accepimus idem navigium (cui nomen *Novara*), quod Maximilianum Imperatorem ad Mexicana littora transvexit, iam exanimatum corpus ad suos in patriam restituisse.

Ad patrias remeare, gerens tua membra cruenta,
Ignitis iuvenile pilis et pectus apertum.
Ut qui ridentis calycis pateficit odorem
Mane novo, nondumque die moriente reclinat
Flos caput, ingrato subito succisus aratro.
Sed quo tam saeva perculsum pectora fine
Musa trahis? prorsus misero indulgere dolori
Ecquis ab integro iubet? o sat questibus et nos
Sat dedimus lacrymis! Sed si mihi munere tali est
Adcumulare virum saltem haec data copia, quamquam
Instauro ipse mihi luctus, mea dona rependam.
Imperio infestis armis iam pene labante,
Extremis, longi belli post fata, periclis
Obiectare caput iuveni sententia sedit.
Ergo supercilium, quod spectat desuper arva,
Ascendit comitante manu, cui robore virtus,
Et spectata fides magnis non excidit ausis.
Sed nam qua scelerum facie sitis aeris iniqua
Abstinet? Hos inter clausis in moenibus urbis
Iam super unus erat fraudis fabricator, amicus
Cui melius rebus se Dux credebat in arctis.
Composito mercede data, tum moenia pandit

Proditor, extemplo centum mucronibus adstant
Obsiduntque vias acies. Venientibus ultro
Adfuit: idem illi color, haud tremor anxius illi
Membra quatit, pulcrumque dolo se cedere tandem
Vitam et sponte datos solii succurrit honores.
Nec mora: muta subit squalentis claustra cubilis.
Hunc captum gemuere virum, mox funera capti
Europae reges trepide ventura videbant.
Itque reditque viam Oceani imo cannabe supplex
Electrum, si saeva queant mansuescere corda
Quorum, pro genus invisum, fert mente cupido
Barbara captivum letali opponere ferro.
Heu pietas, quos ille dies absumpsit inertes
Fata tuens suprema sui! Nec iussa morantur,
Queis res imperii cessit tunc summa ruentis.
Captivo perituro aderat nox ultima. Claustris
Ara fuit mediis, quo armis stipatus adibat:
Hic terrae genibus, cubitoque innixus adhaeret,
Supplicis ore gerens animum, coelumque requirit.
Eheu quae secum ipse agitat? Subiere triumphi,
Improba et inversae breviter ludibria sortis.
Heu mater, fratresque sui, trans aequoris undas

Frustra sollicita captum tum voce vocantes!
Et coniux, heu mentis inops, dulcissima coniux,
Visa illi ante oculos procul hinc succurrere frustra
Illacrymans conata viro, frustraque precata
Oceani rursus vastos discurrere fluctus,
Ire in conspectum longe morientis, et ante
Vitam ultro exhalare suam, quam viva mariti
Horreat insontis sumptas cum sanguine poenas.
Tum primum pallere genae, tum ducere furtim
Longas in fletum voces, lacrymaeque patescunt.
Mox tremor ossa quatit gelidus, manibusque supinis
Corruit ora tegens: torpet tum spiritus et vox.
Inda phalanx per sacri tetra silentia tecti
Advigilans, positis immobilis incubat armis,
Nec lacrymis caret ipsa, virum miserata precantem.
Postera sed iam clara dies moestissima noctis
Finit iter: patuere domus penetralia: circum
Funereis planxere tubae clangoribus auras.
Adsurgit, trepido renovantur pectore vires.

V. 218. Maximilianus Imperator, iubente Iuarez, diem supremum obiit XIII Kal. Quint. anni MDCCCLXVII.

Protinus impavida defixus lumina fronte
Egreditur regum proles clarissima, et ultro
Carnifices medius certo pede adaequat euntes.
Cuncta silent, vacuaeque viae, desertaque late
Arva; pererratus rauco tantum omnis inhorret
Aere locus, sonituque manus gradientis in armis.
Tempus erat, primos quo iam sol impiger aestus
Sollicitat, fatale iugum quum milite septus
Ecce tenet. Populos procul hinc et desuper urbes,
Quattuor infelix queis est dominatus in annos,
Aspectat moriturus iners: simul accipit inde
Aera per assiduos tinnitus aere repulsa.
Heu quis lugubris pertentans pectora sensus
Inflexit pietate virum! Frustraque sacerdos
Ore loqui conatus ibi: concussus acerbo
Casu animum multumque gemens sine vocibus adstat.
Ast in conspectu medius quum constitit heros,
Illius haud trepidis complexus colla lacertis,
Osculaque infigens, dictis sic ora resolvit:
Parce metu, tu dulce meos miserate dolores:
Sanguinis heu nimium fusum, si forte tuerer
Imperium mihi sponte datum. Non amplius armis,

Sed me nunc Deus ipse meo iam sanguine pacem
(Nec meliora peto) sinit exoptare supremam.
Quae, fidum ultro dedi teneri tibi pignus amoris,
Tu patriae tu redde meae, Pater, oscula: nec me
Ira subit, (testis Deus exorabilis) unquam
Sanguinis ultores votis properare morantes.
Sis felix quicumque meo cum sanguine vitam,
Victor agens, fundis! felices vivite quotquot
Non regere imperio renui! Nunc parcere tempus
Fasque Deum vobis: vestrae si sanguine genti
Iamque quies quaerenda meo, sic immolor ultro.
Quam sociam excepi solii, me pressa sequetur,
Nec mora, et ipsa dolore, mei iam conscia fati,
Nunc me voce vocans non amplius heu mea coniux.
Sit meus, unum opto, cruor has qui iam ultimus oras
Incestet: mixtus Superis meliora precabor.
Haec fatur, revocatque pedes: ad sidera frontem
Tollit et ignitum contra iam missile plumbum
Expectat, tacitoque Deum simul ore precatur.
Fit gemitus, visuque tremunt hostilia circum
Agmina: quum subito fatali murmure raucae
Increpuere tubae. Media stetit acer arena

Heros: arma tonant, celeri ceu fulmine tactum
Contremuit, retroque ruit cum sanguine corpus.

V. Haec de Gossipio cecini, non pauca remiscens,
Quum dulci tenuere mora, prope littora pulcrae
Patria Parthenopes, me vasta palatia Xisti.
Urbs ubi contigui toties experta Vesevi
Damna timet, sedes operum tamen inclyta et otî,
Solae hinc relliquiis, illinc vicina Calistri.
Si tamen hospitio moesti discessimus, atque
Non opis est nostrae merito persolvere grates,
Magnanimi, si qua est pietas, nec deseret unquam,
Digressos alio Patris comitatur imago.
Nunc tenet alma virûm et rerum Florentia mater,
Candida qua molles demittit Faesula clivos
Ad veterem, perhibent si verum nomina, Quercum:
Lectus ubi coetus iuvenum, spes tanta parentum,
Exigit ingenuis operosa silentia curis.

V. 268. Carmen hoc magna ex parte compositum est, quum diversaremur in villatica domo Xisti ex Ducibus Riario Sforza Card. Archiepiscopi Neap. ad Turrim Octavam vulgo *Torre del Greco,* prope Neapolim. De veteribus oppidis Sola et Calistro, quorum rudera mediam habent Turrim Octavam, legesis quae iam protuli in libello quodam, cui titulus «*Origini di Torre del Greco.*»

V. 278. Collegium Barnabitarum, anno MDCCCLXVIII prope Florentiam fundatum nobilioribus adolescentulis instituendis, nomen habet a *Quercu.*

Tu modo, quo fidei Duce sacrorumque Magistro
Arni propter aquas gaudet clarissima tellus,
Succedis patronus agens. Namque eminus ipse,
Quum iam Coralium et casus meditabar Hydrusae,
Te mimini quandoque meo indulsisse labori.
Quare age: quod tandem Quercus absolvere in umbra,
Te prope, musa dedit, Ioachim, bonus excipe carmen.

SATYRICA

HOMO ET SIMIA

ARGUMENTUM

I. Neapolim profecturus poeta Stationem ferrati tramitis adit, sed sero. — II. Inter morandum duo Britanni accedunt, Darwiniani commenti defensores, et disputatio instituitur. — III. Simiam, ut nunc est, omnino ab homine discrepare asserimus et probamus. — IV. Difficultatibus occurrit senior, fore sperans, auctore Huxley, ut certius aliquid effodienda tellus afferat, sicut nuper Calvam apud Germanos repertam.—V. In hanc lepide iocamur. — VI. Rem altius repetens senior doctrinam exponit, auctore Hackel, de prima communi hominum ac bestiarum specie. — VII. Absurda haec commenta ludo vertuntur. — VIII. Senior mecum aedes ingressus, ientaculis sumendis assignatas, evincere certat, quam similis sit nobis Simia tum corpore tum mente. — IX. Primum refutatur similitudo corporis. — X. Fabella quaedam ad rem adiungitur. — XI. Quaestio altera dirimitur de vi animi et moribus Simiae attributis. — XII. Profectio describitur. — XIII. Monita quaedam amico dantur, ad quem Satiram misimus.

I. In patriam facturus iter septembribus horis,
Hippolyte, ascendo currum, notumque subire
Vestibulum festino, datis ubi tessera nummis
Exigitur. Claudunt carpenta, petorita, plaustra
Circumfusa vias: « Flecte hinc, cito verbera, quaeso,
Vocibus adde auriga, vola, compelle quod obstat »
Heu frustra inclamo. Iamque atria longa tenebam,
Quum subito, valvis patefactis, eminus hausi
Auribus ingentem strepitum, quem reddit ahena
Machina, conceptos fremitu indignata vapores.

Protinus accurro: supplex admittier oro,
Indignaeque morae longos vitare labores.
Exiguis sed enim clathris munita fenestra,
Qua datur e pretio poscenti chartula, raptim
Obditur, ex adytis quum vox haec fertur ad aures:
« Longa trahenda mora est, media dum parte diei
Praeterita, veniat moles compulsa vapore
Altera ». Quid faciam? se se iam stipat apertis
Turba viatorum foribus discedere iussa.
Ergo, acres inter quamvis numerandus et ipse,
Auriculas demitto: gravet sino pondere lumbos
Mantica, non semel effrenae convicia linguae
Saeva minis addens, puerûm ni forte caterva
Abscedat petulans. Quo me sudore madentem
Ducit iter, nunc sisto vicem miseratus iniquam,
Nunc aulam solus vacuam stomachosus oberro.

II. Labitur interea tempus, comitesque futuri
Adventare domum incipiunt vix unus et alter.
Pastillos longaevus edit, dum impexa movetur
Barba manu, incedit iuvenis sat factus ad unguem.
Pauca inter se verba serunt; utrumque Brittannum
Sibila demonstrant infractis vocibus ora.

Accedunt, ac rite data acceptaque salute
Sistimus adversi. Ne me reprehende, silebam,
Non ut inurbanus (penitus me nôris) haberer;
Sed quum bilis adhuc iecur ureret, hac, puto, mente,
Pectore ne fando temere succresceret imo.
O ego, qui silui, laevus! superasse Charybdim,
Qui potuit Scyllam vitare, superbiat unus.
Scilicet ut primum senior mea Brito diurna,
Quae lego, posthabito adloquio, prope totus in illis,
Adspicit, urbane quod sit satis, occupat: «Istinc,
Inquit, quid novi habes? sodes, edissere». «Nil est
Tanti, inquam: quaeso, Britone?». «Ita» protinus ille.
«Hoc ergo, digitoque noto, te forte morari
Posse reor: legesis, scriptor quanam arte, Britannus
Natus et ipse, novum indignatus dogma refellat,
Simia quo nostrae veteris primordia formae
Asseritur». Nunquam dixissem! ast alea iacta est.
Nam insanos inter si amat ipse insanus haberi,
Non me stultus agit furor, aut inscitia veri
Ut videar morbo misere correptus eodem.
«O bone, te video, ne te frustrere, dolentem:
Atqui grata loqui rebar tibi maxime. At ipse

Tutus adhuc teneo quae me docuere priores,
Nemini et invideo memoranda inventa. Remotus
Quum longe longeque fera sim prorsus ab omni,
Non me simioli faciam magnum incrementum ».
Haec ego: tum saeva rabie commotus uterque
Assidunt hinc inde: « Viris haec parcius, inquit
Voce senex blaterans fracta, obiicienda ». « Vicissim,
Stultius inter nos quis famae inserviat, eia,
Experiamur, ait iuvenis ». « Non proelia sperno,
III. Inquam: principio, quo abiit, mihi dicite, prisca
Simia in humanas prorsus conversa figuras?
Invenisse decet, si nostrae est stirpis origo,
Signatam meliore nota. Quam cernimus omnes,
Simia, ni fallor, nobis sat discrepat: anne,
Hactenus effossis latebris, siqui abdita rerum
Protulit, humanum stupuit reperisse cadaver
Simioli referens, qualem nunc novimus, ora?
Denique, ne longum faciam, nos vivimus, alto
Insula ut in pelago, genus insociabile: pontem
Iniicis, o misero cupiens ad littora cursu
Tendere septa feris, quem nusquam provida nobis
Iniecit natura, bonum nec repperit usus ».

Me vigilans oculis senior, iuvenisque loquentem
Aspicit irridens. « Agedum tu proelia mecum,
Inquam, sume prior, iuvenis: quî dicta refutas? »
Sed fatuus non ulla dabat responsa: morantem
IV. Increpuit senior: « Poteras dixisse, negamus.
Te quoties terrae docui intentata iacere
Viscera, ubi nostrae primae vestigia formae
Cernere erit ». « Meminique probe » tum iunior illi:
Mox mihi: « Scin'? tempus veniet, quum mira, latebras
Adgressi tentare novas, spectabimus ossa
In lapides conversa dein, quae aut exuit olim
Primo hominem referens melius tum simius ore,
Aut homo simioli nondum tam degener oris »
« Pulchre, nil supra » senior. « Quae crassa minerva »
Haec ego contra aio tacitus, miseratus utrumque,
Huc illuc volvens oculos, nasumque supinor
Pulveris interea, quo me uti noscis, odore,
Hippolyte. «Hoc unum adde, quousque morabimur, inquam
Postea subridens, dum tot miracula rerum
Visere contingat? ». « Brevis est mora, mitte timere,

V. 85-89. Ita prorsus asserit *Huxley* absurdum dogma defendens *(Zeugnisse* 178).

Hinc repetit senior: siquidem iam novimus imis
Effossas terrae sinibus, mirabile visu,
Relliquias calvae, qua non antiquior ulla
Hactenus humana. Hanc equidem sibi simia nunquam
Certa suae veluti formae monimenta prioris,
Arrogat: at nobis vetus haec calvaria saltem
Nescio quod medium, missis ambagibus, inter
Simiam et humanam signat, mihi crede, figuram »
V. Hic sequor: « O sero studiorum parcite: monstrum
Hoc quibus e terris doctorum protulit aetas? »
« Quae nos nuper, ad haec senior, deteximus arva
Germani coluere: hominis genus inde vetustum,
Barbarico quamvis, gaudet cognomine ab oris,
Calva ubi delituit tot iam per secula ». « Dici
Insipiens poterat tuto, interpello loquentem;
Quandoquidem *Sapiens* iamdudum dicitur ille
Nos penes, humanae sobolis qui primus habetur.
Quin etiam, ut verum fatear, meliora loquuntur
Qui nomen calvae veteri fecere repertae.

V. 97-117. Calva haec effossa fertur in antro quodam vallis quae apud Germanos *Neander* appellatur. Hinc homo iste inventus, uti *Darwiniani* autumant, antiquior illo quem *Linneus* *Sapientem* vocavit, vulgo dicitur *Neanderhalensis*.

Perditum enim genus illa notat: sed multa propago,
Ut video, insipiens, genus indelebile, restat».
Tum vero assurgit rabies: utrique ministrat
Verba pudor: nequicquam italo reprehendor aceto
Perfusus, risu insector, versoque negantes.
Non ista, ut lubuit, nugis dirimenda, fatebor,
Lis erat, Hippolyte: at quanam convincere credis
Arte cerebrosum, veterum quem nulla sophorum
Scripta movent, ratio nunquam, nec fulmina linguae?
Adloquio desisto tamen: contendere inepto
Cum victore ratus crimen probrumque. Britanni
Nec minus interea mecum certamina tentant.
VI. Subiicit hic senior, iuvenis dum verba subinde
Suggerit, eloquio conanti promere nostro
Rem omnem: «Sat nugis dedimus, cuncta ordine dicam:
Quae prima prorepsit humo, mutabilis ore,
Una fuit pecudum species. Sub iudice lis est,
Quam tulerit natura prius: fortasse secunda
Ille fuit, rabidus qui piscis Carcharus audit.
Post ubi stagna simul pelagi possēdit et ampla
Amphibium arva genus, converso corpore, caudam,

V. 131-141. Ita *Hackel* strenuus novi dogmatis adsertor. (Entstehung, 40 et seqq.)

Non secus ac Salamandra, vagum retro traxit obortam.
Exin rostra feris, exin marsupia ventris,
Nacta locum, natura dedit: mox naribus efflans
Simis Cercopithecus adest: fit Simia tandem,
Hinc homo, seposita cauda, spectabilis ore.
Quae didici, narro: mihi tune incredulus? atqui
Sic habet: in quot item species se vertit et ora,
Ante levis quam se paribus coelo audeat alis
Credere papilio! Tineae vilissima primum
Ora gerit: dein folliculum glomeratur in arctum
Chrysalis, erupto quae tandem carcere formam
Egreditur mirata novam, mirata colores.
Ergo huc, unde abii, redeo: si caetera spernis,
Saltem principium generis stat simia nostri ».
Ante ego dispeream, quam rursum insanus, ut iste,
Obvius occurrat cupiens contendere mecum.
Nil ego ad haec (stomachabar enim) tam putida. Uterque
Urget: « Si quid habes, falsa haec nos vince locutos ».
VII. Sed praestat, domita bile, irridere superbis.
« Talia non unquam cathedra spectandus ab alta
Intonuit qui voce velit placare tumentes.
At si turpe pecus fuimus nos antea, certe

Insanire reor quotquot secernere falsis
Vera putant: gnatis virtus est insita patrum.
Si loquimur, nil hoc refert: nam saepe loquela
Verba serit nostra modulatus psittacus. Ergo,
O hominum pecudumque genus, renovemus amores!
Scire nefas quae iam fuerint, quae fata supersint,
Si qua manent, nobis. Quum nostris ultima terris
Excessit scelerum facies, non amplius ullus
Nos tenet argenti splendor, despeximus aurum,
Quum miseris rediens foecundo copia cornu
Fundit opes, et quos acuit furor antea martis,
Certatim populi coeunt in foedera rursus,
Quod super unum erat, en iterum nos inter avitum
Foedus init natura, metus quod rupit et ira».
Vix ea fatus eram, iuvenis quum prosilit ardens
Nescio quae mihi voce crepans: abscedit. Hirudo
Altera me tenet, et pergit: «Quaeramus, amabo,
Seria, iam ludis amotis» «Desine plura,
. Non moror haec: audin'? Stomachum lenire latrantem
VIII. Tempus adest». «Propero quo vis tecum» Ille. Repente
Proxima me sequitur communia tecta petentem,
Queis dedit arabica iam tritum potio nomen

Facta faba. Verum non unquam huc segnis et exlex,
Ut persaepe alio, nebulonum convenit ordo,
Qui pateris modo, propulso modo fallere fumo
Sollicitant curas, et quae per tecta per urbem
Continuo manent, tricas exquirere gaudent.
Hic aggressus iter contra ieiunia quisque
Solvere festinat. Quum ergo ientacula sumo,
Et modicis quandoque scyphis uvesco, Britannus,
Plurima qui raptim siccabat pocula, « Recte
Otia ponamus: memini te stulta vocasse
Dogmata quae teneo ». Repeto « Nil verius». « At quae,
Tum rabula, ipse vides odisse incredulus audes?
Simia quam similis nobis! Vestigia signat
Bino erecta pede, atque, hominum ritu, utitur usque
Docta manu. Nunc bile tumet, nunc laetus ocellus
Emicat. Ad. numerum dum haec sese vertit in orbem,
Dat digitis sonitus: post flexo corpore plausus
Excipit, et grata huc illuc sua lumina volvit.
Est quae cristata defendere casside parvum
Sueta caput, gladioque latus praecingere laevum,
Missile in adversam ferrum, dictante magistro,
Iniicit, atque alacer currit spoliatque iacentem,

Quae se seminecem simulavit vulnere lapsam.
Haec gestit quondam mulier formosa videri:
Olli pro galea tenuis calvatica nodis
Nectitur; assumit pallam, redimicula, peplum,
Atque incedit, humum sinuosa cyclade verrens».
IX. «Nil insigne, recens: hoc iam per compita monstrum,
Sic ego, per plateas stupeat plebecula tantum».
«Quod tamen et mentem et nostram, me iudice, formam,
Hic sequitur (vino ingenium faciente disertum)
Simiolo attribuit, quum sit tam mirus utroque
Qui conlega gradu post nos sane assidet uno».
«Mitte gradus, tum aio patiens, nos simia ab omni,
Ne fallat species, animo distamus et ore.
Te cui sorte datur sublimem incedere, semper
Simia num referet, gressus mentita? Iocantem,
Aspice, deficiunt vires: iam corpore prono,
Ut quadrupes, graditur vilissima bestia reptans.
Nunc, hoc si proavo iactas te inglorius ortum,
Contemplator: amor tibi sit perquirere, quali
Est facie, calva, quali pede, pelle, manuque.
Ah ego, nil quamvis cupio formosus haberi,
(Tu tua provideas) non unquam, ut simia, fronte

Esse velim, quae parva fugit contracta retrorsum:
Non manibus reptare velim, si iure vocanda
Sint ita, quae movet, extendens se bestia, membra.
Haec vice saepe manus fungi non ipse negabo:
Ast mihi quaeque suum teneant mea membra decenter
Iampridem sortita locum, manus utraque summum,
Pes imum. Partes et quae data munera cuique
Commodus haud unquam patiar mutare vicissim.
Forte viae fessus, si raeda aut esseda nusquam
Occurrit, sedeo: chiragra si quando laboro,
Est qui iussa mihi faciat famulatus egeno.
Haecne mihi tantum constat sententia mente?
Hunc modo quem sumis tam humili tibi fronte parentem,
Respuit Oceani vulgus, (cui nomen ab austro
Fecimus) horrendum facie calvaque pusilla.
Verum, si plebes didicit suffragia ferre,
Ista puta, dumtaxat ad hoc ut simia tandem
Discat sponte datas sibi quot ferat urna tabellas.
Qui insani, dic, grata dabunt suffragia? Nati
Iratae veneri: muliebre omne excipe vulgus,

V. 238. Intellige *Nigros* homines *Australiae*, infimam profecto hominum speciem.

Quippe nec una minis accedet femina ad urnam,
Non senior, nasuta, brevis pede, gibbera, lippa ».
Multa alia, hoc genus, in faciem moresque iocatus
Simioli, stultum ratus expugnasse, secundae
Poma silens mensae libabam. Brito rogare
Acer ab integro: « Sed nonne simillima nobis
Simia? nonne suos praestans infusa per artus
Mens animusque? Tuum nimium delirat acumen,
Da veniam, quaeso, si quod commune creavit
Omniparens natura genus, seiungere certas ».
« Quid facias illi? forsan tecum ipse volutas,
Me Hippolyte incusans: operam cur sumis inanem?
Bestia si prorsum ipse sibi sic sponte videtur,
Quod velit esse iube ». « Haud aliter me crede locutum ».
« Non patruus tibi ero, inquam, rite tuo utere iure,
Nec te dura docens, sapientum octavus, adivi.
Huc tamen, heu pudeat, vivi pervenimus (ista
Tolle memor, cohibeque iras) ut simia nobis
Ingenio praestet. Si ignoras accipe pulchram
X. Ex re fabellam. Patriis e saltibus olim,
Egressa, ut fertur, subiit magalia reptans
Simia: muta stupet motusque hominesque. Beatam

Hos utinam inter, ait, quoque me pia terra tulisset!
Nec mora: sublatis imo cum pectore tergis
Abstrusaque simul cauda, multo ardua miscet
Se populo, lustratque vias, late omnia circum
Vestigans oculis, an recte imitetur euntes,
Crura movens alterna, pedes, et brachia iactans.
Ah miseram! torpent arrecto in corpore vires:
Iamque labans, ne lapsa novos amittat honores,
Callida, ut illa videt, prima ad divortia tendit.
Quo venit temere, niveis pellucidus undis
Fons erat, in sylvis quem nondum viserat orta.
Monstra stupens accedit, hians speculatur: imago
Quum primum e speculo resilit turpissima, «Quisnam?
Inclamat:» vanas metuens sub imagine formas,
Os oculosque quatit. «Me, me, conterrita fatur,
Me video; non foeda adeo mihi nata videbar:»
Moestaque tum rediens sylva sese abdidit alta.
«Fare age, quo tendunt haec prorsus anilia?» Brito
Frigidus insectat. «Nil pol mihi clarius, inquam;
Simioli vultum qui turpem novit, et audet
Tam foedum iactare genus sibi, collige mecum,
Stultior hic tibi nonne fero deprenditur ipso?»

XI. «Non his me nugis offendes: tu tamen, inquit,
Bilis et interea crispat bene splendida nasum,
Quae ignoras, aliis prudens dictare caveto.
Bestia et ipse foret, primordia parva professus,
Si quod prima dedit rebus natura creatis,
Vimque animumque simul, nunquam mutaret. At ipsam
Hoc opus usque manet, si res convertere curat,
Exuat ut sua quaeque vigens elementa, figuras;
Compede prosiliat vaga rupta, denique fiat
Spiritus, hic omnes socians miro ordine formas».
«Esto, et si quid amas ultra: sed, quaesumus, addo,
Quid fit si potuit contingere bestia metam,
Os hominis moresque? Manet, licet inclyta, prorsus
Bestia quae fuerat, licet omnem oblita priorem
Adspectum. Haec tenet indoctos, haec formula doctos,
Si nos simioli ex facie rerum improba mater
Induit in vultum, quem nunc gestamus ovantes.
Nam quae prima subest, mutari nescia, rebus,
Prodigium simulare potest, tenditque movetque
Se in facies conversa novas natura; sed intus
Qualis ab incepto venit, sibi constat ad imum.
Quam vim germen habet, quum sulcis credis apertis

Exiguum, retinet si post adoleverit arbos:
Quae vis, ne dubites, repenti est insita brucho,
Papilio ales habet, qui tortos fulgidus orbes
Saepe legit dulci lucis propioris amore.
Ergo si lubeat paucis absolvere litem,
Dic mihi: vis animi quae nos movet, intima menti,
Ipsane simiolum? negites si forte probare,
In propria poteris iam pelle quiescere tuto:
Nulla suum dicet posthac te bestia gnatum.
Sin secus, ipse miser legem in te ponis iniquam.
Nec refert hominem te audire lubentius ore:
Non decorant pulchri male nata ab origine vultus.
At tibi, te cupio invitum servare, necesse
Vincere erit, si quando tuam vafra simia mentem
Protulerit: miseris spes haec est una salutis.
O bone, compertum nuper procul excute foedus.
Quod magnum molitur opus? dic; fingere quaenam
Simia perdidicit crepidas, unguesve pilosve
Ponere? quae sibi struxit adhuc enorme, capillis
Undique collatis, pondus, retrove coegit
Reticulo? Novit sese defendere: at illa,
Quum tot, commodius morituri, invenimus arma,

Cur antiqua cupit, deiecta ex arbore poma
Et dentes unguesque manus ostendere? Ludos,
Qui te tam capiunt, didicitne iniussa? Cubantem
Finge vafram quo nata loco: contende viator
Ad sylvas; tene illa videns, imitabitur? Ergo
Si sapis, a nobis haec quantum abludit imago!

XII. Haec ubi dicta dedi, iuvenis, qui cesserat ante,
Ingreditur: «Tantaene morae? iam tempus eundi;
Nonne vides? operam perdis: cito, mitte procacem.»
Arreptaque manu socium compellit et urget
Torva tuens. Pallet senior, tremulaque loquutus
Voce «Abeo non victus, ait, non arma repono».
«Accipio, valeas, inquam, via longa, loquemur,
Te sequar». Interea concurritur undique: surgo
Illico, et aere dato quodcumque adsciscit avarus
Caupo, digredior. Quas liqui plurima sedes
Turba viatorum complet: iam voce ministri
Has illas repetunt urbes, quo machina praeceps
Tendit iter, reserantque fores: simul inde vocati
Plaustra legunt. «Da, quaeso, locum, bone: pulso morantes,
Luctor in adversis. Tandem consisto, solutis
Nummis, obsignata viae mihi pignora poscens.

Unde mihi fustem? Huc etiam me furcifer ille
Persequitur: « Quae plaustra tibi? modo copia nobis
Sit simul ire, lego quaevis » « Ego, prima: fenestrae,
Dum venias, incumbens usque morabor apertae».
Aufugio: limen pueri obsedere maligni.
Venditat hic, vocem ingeminans, mihi crustula, ofellas:
Oenophorum hic profert alius: monet ille legendam
Comis ephemeridem: pueris, mirabile monstrum,
Accedit vetula, et lectos, munuscula, flores
Porrigit. Irata quandoque prece ocyus inde
Me rapio: percurro aulas, formidine captus
Hac quoque ne arripiat socium me Brito fugacem.
Quae prius egresso obveniunt mihi plaustra secunda,
Scando levis: medius sedeo stipatus utrimque,
Ora tegens. Mox signa fugae dant cornua, ahenae
Insequitur stridor molis; prolabitur undans
Ante focus, celeresque trahit miro impete currus.
Omen sic Deus avertat, quo me improbus exin,
Ut se deceptum sensit, comitavit euntem!
XIII. Hactenus avertit, valeo; risumque daturus,
Ut reor, haec scripsi veteri servatus amico.
Quippe potes te hinc insontem iactare superbe

Si tecum ter iter faciens mala fata subivi.
Tu tamen ista cave ne dones omnibus aeque
Carmina, si quos posse putes novitate morari.
Simia quam multos hodie captavit amantes!
Hippolyte, hoc tibi iudicium: ne forte (quod absit)
Dum mea defendis, me infortunatior, acrem
Invenias qui fuste dolet te vincere certans.

POPLICOLA RECENS

Rem populi curare studes, adscitus in Aulam
Tu quoque spectandam patriae longo ordine patrum.
Gaudeo, Quinte, bene est: quamquam si forte rogasses
Me prius, optandi fuerim non muneris auctor
Ipse tibi. Verum quoniam, non ante petitor
Inter multa meri ventosis pocula verbis,
Ut perhibent, nuper punctum ferme omne tulisti,
Adgredere o meritos, faustum placet omen, honores.
Haec tamen ante bonus, quae nunc loquor, excipe dicta,
Si manet in pretio primis tibi notus ab annis.
Principio (adversas nam sedes novimus esse,
Invenit unde virûm coetus cognomen in aula)
Ne quocumque pedes tulerint te, siste beatus.
Fors mihi succenses, ut qui non prorsus eadem
Egregios praestare putem virtute sodales,
Seu nunc laeva sibi, seu dextra sedilia poscant.
Non ita: nam (verum fatear) quos ante malignos,

Exiguum sane numerum, vilissimus auri
Adcierat non dulcis amor patriaeque decorus,
Sustulit e medio populus congressus ad urnas.
Accessere boni tandem: ast non una profecto
Tot pars incolumi capiet gravitate patronos.
Nunc ergo primum coetus sociabilis ultro
Eliget huc illuc nullo discrimine sedes.
Tu vero quacumque velis consistere parte,
Cornua, si sapis, evita, mediumque sedile
Delige: nobilior locus hic, cupiasque videri,
Ut decet, heroum paucorum protinus unus.
Hinc alio propera, si quando sedilia caprae
Spissa premant olidae. Quovis iam tutus adibis,
Namque pari adiunctus par nunc conspirat amice;
Quod fuit in votis. Hos inter, Quinte, sodales
Munere macte novo: populi sacra iura tuenti
Non tibi pol deeris, quamvis nil paene peritus
Iuris ades: plerumque vices facundia supplet.
Ante tamen quam imo rumpas e pectore voces,
Inclyta te iubeo veterum exemplaria cautum
Respicere; ignosces. Aliena voce disertus
Fingeris, nec non disces bêne reddere verba.

Verborum sed enim veneres pondusque docebunt
Longe alii ac tu rere. Cave, mi Quinte, loquelam
Enervem affectare hominum, quos Tuscia mittit:
Femineum hac teneatur adhuc genus omne. Dicaces
Indignator item quos prae se garrula iactat
Parthenope. Hos tantum sapiens tibi sume magistros,
Quos patriae decus, in pingui licet aere natos,
Montibus e superis nunc Roma excepit ovantes,
Qua data porta. Virûm sero sic occidat agmen
Hoc vetus, atque diu nobis intersit! Avitus,
Horum nactus opem, rediit iam bellicus ardor;
Iamque renascenti populo terraque marique
Ostentare licet quae gessit fortia. Tandem
Quod superest, nostrae renovanda est gloria linguae.
Hoc opus antiquos socios, quorum adstitit ausu
Patria nunc iterum frontem redimita corona,
Hoc manet extremus labor; ut, qui iam ante iuventam
Quid sit amor patriae recte docuere, quietis
Nunc rebus, nostrae doceant portenta loquelae.
Auxiliis his, Quinte, ferox, quum divite lingua
Contigerit primum socios patriamque beare,
Incipe sic tamen exilem depromere vocem,

Ut quicunque gradu post te vix assidet uno,
Auribus arrectis adstet. Si maxima coetus
Pars studeat tibi, iam verbis absiste. Faventis
Hoc erit indicium, si quid modo dicat in aurem
Collegae, modo dormitet, lustretve diurna.
Est satis incepisse loqui, ne turba clientum
Te parvi faciat, semper te questa silentem.
At si, iura tuens, socios insurgere contra
Adspicias, pulset sine tintinnabula Praeses.
Nunc prece, nunc lacrymis, qua vi potes impiger obsta:
Ne timeas veterum fautores dicere quotquot
Libera te prohibent, ut fas est, verba referre.
Ridicula interdum (hoc etiam te nosse necesse est)
Misce acri: quandoque secat res risus acerbas.
Imo si qua tibi sociorum cura tuorum
Restat adhuc, fessos poteris recreare decenter.
Quae bona, dic quaeso, sint haec quaecumque, sequuntur
Insignem virtute virum, qui forte relicta
Coniuge, natorumque procul longo agmine, tanta
Taedia perpessus, patriae se devovet ultro?
Olli iam misero spes omnis adempta videndi
Gratuitum pignus, quod coniux dissita mittat,

Dulcis epistolii. Voluit sic sordida turba,
Quam merito plebes nuper deiecit ab Aula.
Quo vir cumque volet (vix hoc conceditur unum)
Itque reditque vias ferrato tramite gratis.
Ergo tunc feres aegre quandoque sodalis
Exilarare animum? Sodes, ne praemia frontis
Urbanae spernas: alios praestare videbis
Prorsus idem, insignes titulis et nomine avorum.
Imo si quid habes, contra ac plebecula credit,
Libere et ipse loqui cupias. Rubigine tela
Iam periere Petri: timeant haec arma pusilli
Infirmiqui homines. Satis est tibi plaudere turbam,
Teque iugum servile animo excussisse fateri.
At quaecumque tibi posthac sit copia fandi,
Si fautoris eges, cautus tu tempora quaere.
Exoritur rabies canis, et gravis aeris aurae
Ruris amatores cogunt discedere ab urbe,
Rumpe moras, legemque roga: suffragia cuncti,
Quid dubitas? optata dabunt. Nec novimus unum,
Da veniam, socios inter qui sponte recuset
Pelliculam curare suam: non patria tanti est.
Insuper ipse doles mecum, quod femina nobis

Mancipium servetur adhuc. Si primus in Aula
Feminei vindex generis cupis ipse videri,
Accipe qui modus eventum tempusque secundet.
Quo muliebre die fatum versabitur urna,
Quot noris forma pulcras, rebusque studentes
Rite novis, Aulam totidem adventare puellas
Coge; nec ante suam sortem miseratus acerbam
Incipias, quam turba locum compleverit omnis.
Arrectis tua verba bibent sic auribus, ut nunc
Languidus ora notet pallor, nunc pectore ab imo
In fletum ducant voces. Hic, Quinte, memento
Lacrymulas dare saepe novas, hic moestus utramque
Tende manum, monstraque Aulae, suspiria ducens,
Quos, sortem conquesta suam, formosa colores
Ore det ista phalanx. Quis, quaeso, talia spectans
Tecum certet adhuc? Atqui si tanta cupido est
Femineis nunc iura virûm assignare catervis,
Non alio vinces pacto. Certabitur olim,
Crede mihi; et tempus veniet, quum compede rupta
Vobiscum ipsa ferat suffragia femina, vulgo
Ius eadem dicat; subsellia, rostra frequentet.
Nil intentatum, dum tot miracula rerum

Obstupet haec aetas, libertas parta relinquet.
Non ita te cautum iubeo timidumque, rogantem
Alteram (ut in votis est) legem, ut quique vel urbes
Vel praerupta colant scopulosi culmina montis,
Prima etsi inviti discant elementa. Timebat,
Ignoscenda quidem, veterum vafra turba virorum,
Ne in sese ipsa rogans legem sanciret iniquam.
Hinc ea displicuit, lexque antiquata recessit.
De te nunc sociisque tuis nil tale verendum.
Ergo primo quoque die tutissimus aude
Tu prior: iniussus coetus tibi succinet omnis.
Verum ne nimium tibi fide, ut cuncta licenter
Pertractare putes. Sunt quae melioribus armis
Prorsus egent, nec pauca quidem, et longa arte magistra.
Quis te militiam docuit? quae forma parandis
Navigiis melior, quae sint mutanda? Putasne
Scire probe, qui cursus aquae sit Tibridis, aut qua
Arte coercendus ne horrescat Roma? Loquatur
Haec sine qui lingua iuxta venerandus et armis
Enitet, ut stellas inter mars ipse minores.
Fortibus hic ausis gemino iam cognitus orbi,
Nunc gravior senio, longe grata otia ducit.

Hunc ideo acciri iubeas, si seria fari
Contingat, nutentque animi. Certe Aula stupebit
Illius eloquium, quo non praestantius ullum.
Quid vero ipse queas, posita formidine mentis,
Dicere, nunc audi. Quum fiat Tullius alter
Quem patriae compellat amor vexetque loquentem,
Egregie dices, nec vis te deseret unquam,
Si quos luget adhuc communis patria cives
(Istrum Cyrneumque puta genus et Melitaeum)
Libertate licet sera donare labores.
Quidni? nobilior tot iam post secla resurgit
Roma caput, viresque Italis stant robore primo.
Iam fuimus numerus, fuimus sine nomine membra
Hactenus: indignata forum, indignata ligones,
Mascula nunc omnis pubes accingitur armis.
Non sociis hoc tempus eget, centumve carinis,
Si quid mens agitat veteres committere in hostes.
En loricatus sua membra Duilius undis
Extulit, indomitis ipsis metuenda Britannis.
O tandem complete viri, quae incepimus! Atqui
Multo opus est auro: scimus. Sed, dicite, quaenam
Libertas pretio sine magno venit honesta?

Si venit, maiore tamen servabis adeptus.
Ne vites ideo, patriae perculsus amore,
Si qua manent, Italis prudens sancire tributa.
Quid cessas? plebes certatim solvit ubique,
Ut qui dives opem matri fert gnatus egenae.
Mox utraque manu tribuet meliora petenti.
Hic anceps haeres, veritus ne legis ut auctor
Tu subeas mala damna prior. Mihi, Quinte, videris
Paene recens: sunt multa quidem quae imponere possis
Ultro aliis, quin te ipse graves. Et cetera desint,
Vobis, praesidii causa, quaestoria nonne
Usque patet, quae nos penitus latet arca profanos?
Heus tua provideas, nec sis infirmior unus!
Recte alitur patria, patriae qui inservit. At, oro,
Si potes incolumi lucro sectator honesta.
His ergo monitis utcumque imbutus, amice,
I pede iam fausto quo te vocat inclyta fama,
Et data sponte tibi nuper suffragia plebis.
Si quid te tangant mortalia praemia, iamnunc
Praesentire iuvet. Primum bene munere functum
Te video natale solum remeare: clientes
Nuncia fama vocat: certant te tollere curru,

Musico et interea veheris praeeunte maniplo.
Extructis splendent laute convivia mensis.
Hic pateras interque dapis meliora vicissim
Res gestae nomenque tuum celebratur. At ipse
Vix haec suffusus repetes nimio ora pudore:
« Quid vobis patriaeque dedi? maiora rogabo,
Vos modo patroni teneat fiducia vestri ».
Tunc geminant voces, nova tunc sibi vina coronant.
O epulae hospitiumque virûm! Tunc discere sane
Fas erit an vobis aliquid data munera prosint.
Haec tibi quae cecini evenient. Si quando (quod absit)
Posthabito populo, proceres defendere iussus,
Asperà sic moveas odia ut te excludat ab Aula,
Mitte queri: Romae reducem penitusque beatum
In sua te excipiet subsellia, Quinte, Senatus.

REGES POPULARES

Quid, sodes, animum spe pascis temporis acti?
Expectatus adhuc, Malvi, post nubila phoebus,
Non si te maneat seclis effoeta senectus,
Crede mihi, adveniet. Res ergo ferre novatas,
Fabula ni fieri cupias, assuesce. Videre
Te videor: quam multa mihi, dominisque precaris
Dira novis, haec tecum animo mea dicta volutans!
Forsitan et lacrymas fundens: «Pro tempora, clamas,
Tu quoque, pro mores, multorum deficis unus!
Defecisse alios dolui: nil tale verendum
De te prorsus erat» Quid enim? quae commoda secum
Res tulerint dominique novi, iam miror et ipse
Sero tamen, laudoque vices, quas ante refugi.
Ergo libertate bona tecum utar amici,
Vera loquens, quae, ingrata licet, te vincere possint:
Nil moror interea si me insectere maligne.
Ex quo, conversis rebus, mala tempora luges

Nonne, cedo, multa ipse stupes (fatearis oportet)
Commoda quae penitus proavos latuere? «Fuisset
(Dîs aliter visum) in nostris haec visere fatis»
Diceret, e tumulo si quando efferret aperto
Quisque caput, tot grata videns portenta vicesque.
Si potes, aspernare: tamen non uteris istis,
Fare, bonis? Quoties, qua vix pede caprea nuper
Incessit titubante, trahit te tuta sedentem,
Impatiensque morae, substratis machina lamnis
Ignipotens? Quotiesque stupes per ahena volare
Tenuia fila tuam, electro famulante, loquelam,
Dum longe absentes absens affaris amicos?
Adde operum, insignes grata novitate, labores;
Urbibus ut nulla invideat solamina vitae
Oppidulum posthac: plateas hic, strata viarum,
Hic salientis aquae passim spiracula, floris
Omnis opes, platanique vides aut ilicis umbram:
Et noctu occulto conceptam fomite flammam
Luce sua complere vias. Si quidquid avita
Quaesierat nobis communis cura peculi,
Cogimus urbani squalentis plebis in usus,
Nil refert: nummos felix mox turba nepotum

Solvet utraque manu, quaesitis si volet uti.
Vidi ego te toties (ne te frustreris) hiantem
Sistere, quum, docti vel prima elementa, periclum
Te coram facerent pueri. Mysteria veri
Iam vulgo patefacta: plagas, et flumina terrae,
Et montes, ventosque probe plebecula novit,
Atque vices patriaeque decus. Bene docta, quid ultra?
Multiplicat numerosque secat, deducit et addit.
Nil intentatum domini liquere recentes,
Plebis ut ingenium, sordes, ante omnia, mores
Corrigerent. Haec tune neges data munera nobis?
Collige nunc mecum: an non insanire videntur
Qui vexant praesens probris ferme omnibus aevum?
Unum hoc, ne longum faciam, fors iure dolebis
Amissos, ni fallor, heros. «Heu nescia sperni,
Me puero quondam, veterum reverentia regum!
Stat species, (quo nunc vivi pervenimus!) una
Regis adhuc: quamquam o!» Haec te usurpasse gementem
Et memini, et mihi nunc etiam dixisse videris.
Pace tua, quae falsa tibi sententia menti est!
Servitia, horresco repetens, vilissima regum
Iam fuimus servumque pecus, dum quisque minorem,

Deceptus specie, regem vix Numine fecit.
Regius hinc honor, hinc animis metuenda pusillis
Maiestas, hucusque ratis descendere ab ipso
Numine quae in populos rex iura exercet adeptus.
Heu protracta nimis tanta haec inscitia veri!
Quum tamen, ut nuper tandem cognovimus, omnes
Lege parens natura ferat, nec formula magnos
Dissimilis reges teneat, cur plura quereris,
Si qui dat nobis nunc rite volentibus aequus
Iura, favente Deo, pertaesus inania vitet?
Finge saginatum regem procedere ab urnis,
Nec desunt exempla: retro collectus anilem
Caesariem, nonne iste daret risum? aut minus ille,
Cui setis foeda ora rigent, oculique tumescunt?
Ergo nunc quoniam sors regis munia cuique
Obiiciat, sprevisse decet, quae haud omnibus aeque
Consona, si mores spectes hominumque figuras,
Semper erunt. Missa specie, iam quaerere regem
Tempus erat, virtute virum ingenioque potentem,
Qui patriae pater, et miles generosus in armis
Adforet. Haec duo tu nactus bona, caetera mitte.
Scilicet obstupuere animi, si quando tot inter

Rex equitum peditumque acies incederet, arcta
Visendi studio vulgi comitante caterva.
O te, da veniam, laevum! nonne ista tyrannos
Ostentare metus docuit? Nil credis; et esto:
Pompa fuit luxusque. Quid hoc? si forte stupenti
Regis opes populo stomachus latraret inanis?
Heus pudeat meminisse iugum iam denique regum,
Quos nostri exitium tulimus barathrumque peculî!
Nunc quidem habes (haec nostra vide quam tempora versa
In melius) qui, parva licet sit copia census,
Succurrat miseris privatae prodigus arcae.
Imo libertatis habes qui iure patronus
Sit primus. Quae saeva pilos pascentibus olim
Damna, minaeve! Metu jam nos solvamus: habemus
Qui praeit, exemplum, et tuto simulare figuram
Vervecis poteris. Speciem praebere rebellis
Num cuperes? Equidem te dissentire moleste
Ille feret: tamen aerumnas, ergastula, vincla
Haud patiere. Necis saltem metuenda nec uni
Poena manet: crudeli abeunt iam munere functi
Carnifices. Nec miror enim, quum turpis ab oris
Et nostris scelerum facies excesserit omnis.

Si tamen in vitium libertas excidat, ultra
Ne timeas nutesve animo: qui, plebe favente,
Sceptra tenent, plebi quam multa ignoscere debent,
Quum velit et nolit, semper contraria sectans
Mobilior vento. Haec ideo sapientia regi est,
Consiliis sociare suis, quos deputat ipse
Saepe novas populus congressus libere ad urnas.
Hinc ita lecta cohors hominum, qui regna ministrant,
Ut, dum quisque vicem exercens sua providet, aequo
Diversis populi studiis satis ordine fiat.
Haec bona largitum quis dedignabitur? Ipse
Testis ades, si vera loquar. Quocunque libido est
Incomitatus adit: caput olli invitus eunti
Nemo aperit; qui vult, sistit vel tendere pergit.
Instaurant procerum coetum suffragia plebis,
Conveniuntque simul? Propere, praeeunte senatu,
Ingreditur sedes: recitat quae sponte legenda
Accepit, grates referens, docilique tributa
Indicens plebi nova, libertate fruenti.
Excipit at plausu, ut mos est, haec verba corona:
Tum toto sibi gratatur rex pectore, partes
Explevisse suas, recte mandata loquentem.

Extemplo abscedit laetus; sed caetera promptus
Ferre ultro quaecumque Virûm reprobaverit agmen,
Vel nova protulerit. Pateant modo, signa tabellis
Imprimet iniussus, quacumque morabitur urbe.
Absentem querimur nunquam; si forte remigret
Nos penes, omnino reducem nec novimus. Atqui
Qui regno imperitet, scimus. Testantur honores,
Queis Equitum crevit sane numerabilis ordo,
Vilia ne fiant communia praemia vulgo:
Testantur quandoque dapes, quarum omnia passim
Nomina vulgantur subito per compita: quaenam
Et quoties animos recrearint vina: dapisne
Ostrea principium: fueritne acipenser, aperne:
Quo vitulae fartae: quaenam nova crusta: natansne
Asparagos inter perdix gratissima Gallis:
Quonam praeterea stomachum pervellerit acri
Iure gelu: an Batavo fuerit rituve Britanno
Lactea spuma dehinc: an quae suavissima rerum
Parthenope donat, facie signata rotunda,
Sorbuerint concreta gelu post poma sodales.
Ista tamen dumtaxat ad hoc proferre laborant,
Ut pateat nostro quanam ratione decori

Consulat, invitans dapibus rex saepe paratis
Extera et insignem de gente gregem. Insuper ipsum
Esse monent quae pauca sibi solatia fesso
Comparat. Hinc regem modo densam indagine sylvam
Cingere fama volat, celso modo monte sedentem
Expectare feras. Venatum, praemia, mensas,
Haec tria si excipias, age Malvi, quaesumus, unde
Noscis ab integro te nunc, tot damna querentem,
Ferre jugum regis? Quem ergo tantummodo odora
Vis canum equaeque tenet species, non aeris et acer
Caedis amor, regem iamdudum disce vereri.
O bone, nil dictis addam; quae tempora speras,
Iam nobis rediisse puta: nec carmina certe
Haec mea tu legeres, nec scriberet ipse poeta.

NOVI SAPIENTES

PLATO, XENOPHON, VIRGILIUS, HORATIUS, EUCLIDES, DONATUS.

PL. De re communi, socii, vos consulo: segnis
Unus abest, nec miror enim. Servare memento
Interea, Donate, fores; ingrata profecto
Audiret, quod iam, seclis volventibus, agmen
Ausonidum merito nobis adscripsimus.—HOR. Ecquid
Iam novi habes? nobiscum animis hucusque videbam
Vivere fraternis quotquot post fata Quiritum
Egregios sermone novo tulit inclyta tellus.
Dic agedum quae causa, Plato, quae litis origo
Nos inter?—PL. Maiora premunt.—HOR. Verumne? Quid (ergo?
XEN. Si faveas lingua.—VIR. Sileas, mi Flacce.—HOR. (Silebo.
XEN. Iamque Plato rem omnem, sodes, edissere.—DON. (Quaeso:

Nescio quis pultans (audisne?) admittier orat.
Quid faciam?—PL. Euclidesne?—DON. Ita fors.—VIR. I-
(gnosce moranti.
PL. Accedat sine: par semper sibi, totus in uno
Usque abaco, metisque novis.—HOR. Salvere iubemus
Qui gaudet felix numeris et pulvere, rebus
Posthabitis aliis, quandoque sodalibus.—EUCL. Anne
Hora ego composita solus desideror?—PL. Eia,
Parcimus, assideas. Socii occurramus oportet
Iamque malis, si nostra vetus nos gloria tangit.
Olim (quem vestri latet hoc?) quae liquimus ipsi
Et musae et nostrae sophiae decora alma, iuventam
Assidue versasse die noctuque iuvabat.
Inde nec exiguus nobis, cum simus avari
Laudis adhuc, accessit honor, gaudentibus ultro
Nostra sequi recte iuvenes vestigia. Contra
Quo res nunc venit! quae nobis dira precantur
Iam sueti nostris super impallescere chartis!
Nos fatui, rabulae, collegia dicimur omnes
Prorsus ineptorum.—XEN. Credamne?—PL. Heu mitte doceri
Quae in te praesertim pueri convicia fundant,
Vertere te iussi, quum mores Regis et arma

Enarras, aut verba Sophi memoranda.—Hor. Quid ipse
His videor? cedo.—Pl. Nil peius: fur saepe priorum
In fidibus, non saepe bonus concludere versus.
Dum studiis operam navant, laus ista; periclo
Mox facto, merces nobis haec redditur: alec,
Aere dato, nostris chartis amicitur et hillae.
Virg. Heu tenet haec nostros infamia tanta nepotes!
Xen. Mira quidem! Haeredes Italos quis deneget artis
Ingeniique, dedit quod Graiis Musa vetustis?
Pl. Quis tamen hesternos Italos mutaverit et qua
Arte, patet.—Hor. Nempe ut iuvenes, ita saepe magistri.
Eucl. Annuerem, si sumpta phalanx aliunde, doceret
Nunc Italos. Pueris donatne Britannia vestris
Agrestesve Scytae, aut Germania saeva magistros?
Pl. Quid refert, Italis si jam mentesque animosque
Imbuerit Germanus amor?—Hor. Pro dedecus!—Virg. Ante
Me sane monuere viri, numerabilis ordo,
Quos Italis suprema dies huc misit ab oris,
Se penes antiquam Latii senuisse loquelam.
Quae vero accipio, nunquam dixere. Verentur
Ignoscendi equidem, probra haec tot ferre sub auras.
Pl. Nec tamen occultasse iuvat; quos luget ademptos

Patria vestra viros prisci docuere magistri.
Quumque novis studiis jamdudum adoleverit aetas,
Hactenus haud ullus nostro venit ordine dignus.
Xen. Atqui tam multam vexit non ante Charontis
Cymba manum juvenum.—Virg. Sed enim, miserabile visu,
Quas facies, quae membra gerunt!—Pl. Vix digna Priapo!
Maxima pars vitiis stupet, execrabile vulgus:
Caetera multarum rerum sartagine farcta,
Quum nil non sciat, elata iam fronte superbit
Scribere et ore loqui, fuerint quaecumque, rotundo,
Annales, hominum mores atque abdita rerum.
Hoc unum fortasse probe callere videntur,
Te pueri, Euclides. Sed quem mercaris honorem
Non tamen invideo: cupias modo fuste dolari,
Egredere et pueris aude memorare figuras.
Xen. Oh! sterilem veri Italiam manet ista supellex!
Virg. Quod nos detrectet Germanus lotus aceto
Nil miror, quandoque movet sua quemque cupido;
Ast Italos patrio decori irridere recentes,
Hic pudor, hic bilis!—Hor. Mendose colligis: unde
Barbarus hic, siliquis farrata pastus et olla,
Eloquii didicit veneres? Si noster ineptit

Ausoniae coetus iuvenis, peiusque magistri,
Desipit omnino qui nunc sibi barbarus uni
Arrogat et monitus aliis infundere et artem.
Scilicet hic tumidus quicumque est accola Rheni
Grande aliquid iactare potest hucusque tulisse,
Scribere seu pede liber amet seu fingere versus!
Sutor ne supra crepidam: ohe desinat!—Pl. Hercle
Desineret, ni usquam fatuos captaret amantes.
At vestri contra pueri, quos nuper adivi,
Haec misere retulere: nihil non amplius ipsis,
Infima vel vestrae doctis elementa loquelae,
Discere fas est, aut manibus versare legendum,
Quod non Germana trutina pensetur: eadem
Et Graii trutina temere suspendimur omnes.
Tradere nil pueris, quamvis decoctius, audent,
Ante locum censor quam castigaverit acer.
Hinc dum pastillos comedit bene comptus et alta
Spectandus puerûm cultor, puer ipse, cathedra,
Rancidula loquitur voce: *Hoc male, stultius illud:*
Sic visum emunctae naris scriptoribus: istas,
Vos, veneres signate, precor, signate lepores.
Et laxa cervice legit, miracula pandens

Quae nunquam, ut reor, est veterum meditata camoena.
Nec satis ista.—HOR. Papae! Quid adhuc?—PL. Qua (bile tumerent
Livius et Cicero et Plautus, qua noster Homerus,
Si norint quod forte meas pervenit ad aures!
Hos ideo, ut decuit, vetui considere mecum.
Ne multis, (tamen, ante precor, mutire cavete
Vos omnes) Cicero dudum detruditur omni
Pene schola: iam visus enim verbosus ineptus.
Livius in fatuam nondum concedere turbam
Cogitur: at quae indigna ferat stomachosus et ipse
Accepi, quamvis nimium, me iudice, honori
Romano inservit, veris nugacia miscens.
Fabula iam reges abeunt: digesta Quiritum
Rursus ab integro patuerunt proelia, mores:
Edocet haec blatero quo non audentior alter
Germanos inter sciolos. Mox nomina Plautus
(Sic alii visum) mutat: dein maximus ipse,
(Dî perdant rabulas,) nec carmina scripsit Homerus.
DON. Me quoque, si qua manet pietas, ulciscere: nostin?
Ipse ego iam videor pueris nec nomine notus.
Nescio quis nunc Teutonicus dictare superbit

Quae legi ipse prior latiae praecepta loquelae.
Hor. Te teneas, Donate, tuis.—Don. Ast, hercule, dulce
Est mihi quod gessi nomen. Num, fare, mererer,
Ut, si quando licet parvi documenta libelli
Fando aliquid memini, spernat me hesterna iuventa?
Hor. Nil tanti est, Custos.—Don. Ius cuique suum.—Pl. A-
(tria serva.
Ergo, quod superest, quo pacto, pandite, tantae
Occurram pesti?—Xen. Sinerent modo fata: quis usquam
Rursus ab hac ima superas contendet ad auras,
Ultor agens?—Hor. Prior haec ergo patieris inultus?
Xen. Haud ita: si qua manet, nobis hic sumere poenas
Hic licet. Extemplo nostro, lex ista feratur,
Abscedant numero Germanis quotquot ab oris
Digressos hucusque nimis patienter alumnos
Iussimus adscribi nobis.—Pl. Recte.—Virg. Adde: deinceps
Germanum quicumque genus iactaverit, etsi
Rhetor apud superos fuerit geometra, poeta,
Abstineat nostrum iamdudum limen adire.
Hor. Esne penes te? Rara avis est, qui elegidia crudus
Vulget: in unum ergo nos legem ferre duosve
Intererit?—Pl. Pulcre.—Eucl. Inque tuos quid, Flacce,
(rogabis?

HOR. Quae nunc Ausoniae, devictis alpibus, oras
Incestat, patrium redolens sapientia sebum,
Insignem virtute virum num proferet unum?
PL. Si tamen adveniant?—HOR. Faciat quisque ante periclum:
Vertere cogentur quae iam docuere magistri.
Ante, precor, custos, peras tentare memento.
PL. Quorsum haec?—HOR. Ne quis forte (viros iam nosco) (libellos,
Qui verbum verbo reddunt, tegat improbus. Aptos
Quos minus invenias, Aesopo iudice, rursus
Discere prima iube Donato elementa magistro.
VIRG. Hoc iuvat.—EUCL. Egregie.—XEN. Melli est.—PL. (Assentior.—DON. Ipse
Nec deero mihi.—HOR. Festina iam inscribere portae:
«*Non hic Germanis locus*» et desueta futuros
Sceptra para in pueros, ferulam saevumque flagellum.

PROTEUS ALTER

PLUTO, CHARON, TERTIUS, UMBRAE, CAESAR, BRUTUS.

PL. Qui strepitus, fremitusque! Charon, accede: tumultu
Nuper visa mihi misceri regna. Iubenti
Redde, age, vera.—CH. Novus quum nunc diversus abiret
Transvectus mecum coetus, litusque tenerem
Ipse meum, quidam furtim transire paludem
Furcifer est ausus.—PL. Recte mea regna tueris
O bone!—CH. Me vero vafer iste superbiat unus
Decepisse.—PL. Suum nomen nonne edidit?—CH. Ut me
Deceptum sensit « Magnorum ex ordine regum
Tertius ingredior Plutoni credita regna »
Haec ait. Incessum (quamquam pede claudus, et ore
Luteus atque mihi naso spectandus adesset)
Obstupui, ut claro creti de sanguine regum.
Verum quum primum sedes contendit ad imas,
Inscius accipio varios hinc inde susurros

Stridere; mox umbras video facto agmine contra
Implacidas pressare virum, manibusque minari
Ni forte abscedat. Sed pellax tendere palmas;
Nunc hos nunc illos, veluti qui noscat ad unum,
Compellare gregum proceres placido ore seorsim.
Non equidem quae pauca viris est verba loquutus
Audieram: sed enim « Procul hinc, procul esto, nec unquam
Noster eris » simul ore fremunt, dum protinus omnes
Lustrat hians oculis huc illuc erro catervas.
Forte steti dexter: secus hic haud pauca tulisset
Verbera, turbatus mediis tot millibus unus.
Non tamen ipse manus potui cohibere. Protervum
Occului tandem miseratus; nam impetus omnis
Saevit adhuc. Verum, Pluto, tua iussa facessam.
Pl. Accedat sine: praesentem cito nosse laboro.
Ch. Ah hercle effugit! cuperetne innare paludem?
O utinam! sed fata vetant: quin, adspice, monstrum
Te petit.—Pl. Eho rumpe moras, hic, fare, quid audes?
Est mihi, si nescis uni hic commissa potestas.
Ter. Tertius, haec audi, magnorum ex stirpe meorum
Adsto ego: quandoquidem nequeo mea vincere fata,
Imperiis en cedo tuis. Tamen illico ab istis,

Hoc tantum quaero, liceat discedere turbis.
Pl. Cur haec?—Ter. Indignos ergo in me comprime motus.
Regium et ipse decus, ferme dominatus in orbem,
Gessi equidem: patiarne tuae convicia plebis?
Pl. Mira refers: rex qui fuerit, reperisse tot inter
Nonne potest memores, quos hic mereatur amantes?
Ter. Non ego, quem iuvit tot iam noctesque diesque
Advigilare: mei nunc haec mihi praemia reddunt.
Pl. Sperne tuos, contende alio.—Ch. Vah sibilat omnis
Ingressum plebes: accepi talia nunquam.
Ter. Te teneas, plebeie, tuis. Pluto arroget unus
In nos iura sibi.—Pl. Recte: ergo dic age, quanam
Gente venis, qui sceptra diu tenuisse superbis?
Ter. Gallus ego.—Ch. Ah Pluto caveas ita credere: Gallos
Auribus his hausi, quum primum venit ad umbras,
Irrisum hoc Italis monstrum obiectare, vicissim
Hoc Italos Gallis. Certe latet error.—Pl. Et esto.
Ter. Non ita: vera loquar, fuerint quaecumque. Meorum
Mercuriale genus, Graiis oriunda, parentum
Pars bona iamdudum Tuscas pervenit ad oras.
Ch. Hoc primum haud renuo; tam rite instructus Ulyssis
Arte patet.—Pl. Turbas video adventare minaces:

O cohibete manus; rex hic ego. Dicite, quaenam
Vos agitat rabies? Est vir sub iudice.—Umb. Pluto
Olli ne credas; mendacem novimus. Ipse,
Ni sapias, capiere dolis.—Pl. Accedite reges:
Numne hic olim vester erat?—Caes. Loquar ipse, et ab uno
Disce alios. Hominem merito despeximus omnes,
Ut qui ludibrio plebi est nos passus haberi.
Fur, trico, malefidus adest tibi. Nomine fretus
Illius, ingenio fuerat qui clarus et armis,
Robur ab integro studuit renovare decusque.
Non decorat magnum male nata ab origine nomen.
Hunc igitur detrude procul, nos odimus omnes;
Gaudeat, ut lubuit primum, popularibus auris.
Umb. Per magnos te, Pluto, deos oramus; ut isti
Indignamur enim quoque nos: expelle profanum.
Huc ades, o nostri remanes qui iure patronus,
Dic age, Brute, doli pateant. Nonne iste repertus
Prima mali labes, quum furtim adgressus honores
Imperii, servile iugum dedit improbus, unum
Hoc questus non nocte una nova iussa perosos
Demisisse neci? Dic, sodes.—Br. Proditor absit.
Pl. Tune siles? Ius cuique suum: quî verba refutas,

Limina qui, veluti regum iustissimus usque,
Nostra petis?—Ter. Mores hominum bene noris et artes:
Cessantes quandoque greges trahit unus et alter.
Ergo secreto quae in me sit cuique voluntas
Collegisse decet. Plebis mentem hoc ego pacto
Perdidici; haud vitae cursum secus ipse peregi.
Consule tu plebem, plebis mihi sacra voluntas.
Res equidem periere meae: mihi permanet una
Relligio.—Umb. Ridere iuvat.—Ter. Suffragia, Pluto,
Libera quisque ferat.—Pl. Satis ohe iam; hactenus ipse
Quid facerem, haud ita perdidici. Lex fertur ab uno
Nos penes: antiquas ergo obliviscere tricas.
Vincla, Charon, festina homini, mediaque palude
Pone, ubi praeruptis scopulis patet insula tuta.
Effugium si forte novum meditetur...—Ch. Ut ante,
Fuste caput remoque (virum iam nosco) dolabo.
Me didicit timuitque furens, quum virga cerebrum
Contudit, atque manu arreptus *bis marcus* utraque.
Ter. Me miserum!—Umb. Ne parce, Charon.—Pl. Disces-
(sit, abite.

HEROICA

VATICANUM

Nec te, prima mihi, Siren, placidissima sedes,
Laudabo, externos tenui meditatus honores
Carmine; continue licet ipsa o cara canenti!
Sive per incertos, zephyro volitante, susurros,
Mane sinus vitreas pingis tua imagine lymphas;
Sive sub obscurum, quum late incenditur astris,
Mulcibero fumante, vagis, et lumine vestit
Dulcior aethra suo clivos prope littora odoros,
Dum tremulis elata micat bina insula ab undis:
Nec loca tot lacubus rigua, aut pomaria rivis
Uvida mobilibus, formosa aut strata viarum,
Assiduumve, tibi quae uni est data gratia, risum.
Ast iam quaeque virûm circumdant moenibus arces
Septenae monumenta suis, operumque labores,
Me grata tenuere mora: queis alta Senatus
Jura, magistratus, veteris monumenta theatri

Jamdudum cessere, fori et cessere columnae;
Et vetus unde satus, romana palatia, regum
Sanguis: Coeliculûm vi retro lapsa tropaea.
Nunc venit in votis collis magis omnibus unus
Fatidicus, qui almae spatians supereminet Urbi.
Nil vulgi hic auris fallacibus una Quiritum
Gloria, nil opibus, nil saevis aucta triumphis;
Quo tenet aeternum Petrus per saecula nomen.
Eminus adversum (geminatur namque) patescit
Porticus in gyrum: tenuans aegyptius alta
Culmina consurgit mediis obeliscus arenis.
Candidus hic rivo saliente immurmurat humor,
Subiectaeque levi spumant aspergine conchae.
Iamque adsum: foribus quinis instridet ahenis
Cardo; tum stupido panduntur limina visû.
Delubrum ala pari discriminat ordine trina;
Daedalea centum collucent arte columnae,
Moenia pone; novis ludunt asarota figuris.
Splendida maeandro conserta aulaea recurrunt
Fornicibus; passimque, olim qui prima per orbem
Sacra tulere Viri, spiranti in marmore sistunt.
Interea media, ceu mons immanis, in aede

Mirandum solida fulcitur mole cacumen,
Et patulam inspecturum urbem sublime minatur.
Subter, quae sacram gremio complectitur urnam,
Quattuor aram obeunt sinuoso ex aere columnae,
Perpetuo et radiat taedarum plurimus ignis.
Quin et, convexa retro testudine, Petri
Summa subest Sedes, circum suffulta Magistris
Quos est aere manus vacuos experta colossos.
O decus, o salve spes et tutissima gentis
Christigenae, cunctis iterum salve inclita sedes!
Ipsa quidem dominata diu, quaeque inscia vulgi
Turma stupet, monumenta brevi cecidere lapillo.
Una minis immota iaces: scylleïa qualis
Cautes, quum moti fluctus aquilone tumescunt,
Arcet agens rabiem, penitusque sonantibus inde et
Hinc scopulis, submersa crebris vix tunditur undis.
Tu modo pollicitis fidens, non ulla tremiscens
Agmina, flammata quotquot tibi mente fatigant
Perniciem, divina penes penetralia, falli
Nescia fata canis; vocemque extrema rémittunt
Bactra, Caledonii, spatiosae et Tigridis orae.
Praecipites sic ipsa trahit, ceu fulgure tactos

Hostes, et trepida, ut sonuit, sic corda serenat.
Quippe tuis Heros adytis ipse insidet, olim
Hi cuius fuso sudarunt sanguine colles;
Quum primae, heu pietas, sacraeque nepotibus ultor
Culpae reliquias, anima fugiente, piavit.
Imo vivit adhuc, cuiusque in numine Roma est,
Te fovet, et solido te Sanguis robore firmat.
Sic ô sic virtus neu nunc tua debeat armis
Ludibrium! Eheu quanta parat tibi funera! quantam
Coniurata manus cladem altarique thronoque
Justa molitur! turgent bella undique bella.
Hinc periura tibi Allobrogum gens excubat armis,
Heu nimium longis nondum satiata rapinis
Sacrilegis! Illinc (coëunt nam in foedera dextrae,
Quo melius, Romae fecit quae uni otia Petrus,
Compositus vertat temere, si forte, tumultus,)
Finitimum intentans pugnax iam Gallia Rhenum
Arma movet: valido glomeratur marte Sicamber,
Et parto populis inhiat dare iura triumpho.
Arctous denuo minitatur Sarmata Pontum.
Bella premunt: horrent (tempus namque ingruit) arma;
Et loricatis fervent freta versa caminis.

Nam quae, si verum mihi mens praesaga tuetur,
O genus implacidum, te nunc sententia versat,
Praesidiis rerum frustra regumque superbum?
Heu fuge, ni caedem debes! Sacer hic fremit ore
Templa tuens, torquensque Leo fera sanguine et igne
Lumina, collectas primorum despicit iras.

LUDI PUBLICI

REGIAE DOMUS HERCULANENSIS

Huc, ubi stare vides, priscae prope rudera gentis
Herculeae, regum iam dilectissima rura, (*)
Quisquis ades nostras, seu nos penes hospes amicus,
Ingredere: haec nobis veterum clementia regum
Munera grata dedit. Fas hic octobribus horis
Ludere, si cupias, festis impune diebus.
Rura patent: annosa simul multo oblita musco
Robora principio, quercus atque ilicis umbras
Conspicies. Hinc laeta nitent viridaria, dumis
Illinc sylva riget non unquam pervia soli,
Ambiguis deducta viis, ad littora versus
Opposita qua fronte maris sese obiicit irae.
Herbula serpit humi, illuditque coloribus: alveo
Emicat in medio saxis rorantibus humor.

(*) Villatica haec domus vulgo dicitur *Favorita*.

Qui strepitus hinc inde! Ruit iam dissita plebes,
Quam vomit assidue clamosa Neapolis. Omnes
Obsedere vias: pars et contendere ludis
Aggreditur: complent aliae nemus omne catervae.
Iam ludos cecinere tubae: ergo protinus omnes
Persequere huc illuc lustrans ex ordine coetus.
Fune super tereti se librat hic acer in orbes
Membra movens: iunctis pedibus mox pendulus infra
Volvitur in caput, atque iterum, pede firmus in uno,
Turbine corpus agit, geminatve per aera saltus.
Tum simulat casum: trepide clamore faventes
Praecipiti admovere manus. Metuentibus ille
Subridet, choreasque ciens audentior instat.
Haud procul interea, viridans ubi sylva recedit,
Sarmatice trabibus sinuoso in limite fixis,
Acclivi facie coelo tabulata minantur
Instar montis. Amat ludum qui viribus audax,
Atque foro plaudente subit. Quum cornua primum
Signa dedere viro, summo de vertice currus
Irruit: adstantes circum clamoribus urgent,
Dum se curvatis spatiis ceu turbo volutat.
Ille fugit: plausu nemus omne atque infremit aer,

Murmura et aequoreas pulsant popularia cautes,
Ingeminantque sonos. Sinuoso tramite, ventis
Ocyor, axis abit: potis haud auriga ruentes
Iamdudum cohibere rotas; animos pavor hausit.
Adspexere equidem tamen, adspexisse quadrigas
Iure negant: acies impar servare volantes.
Emenso donec spatio rota concita metam
Insiluit, cursumque retro delapsa remittit.
Nec requies: alii sphaera contendere gaudent.
Hastati properant; ficti moderatur habenas
Miles equi iam quisque sui: sphaera explicat orbes.
Bis senos circa positos contingere dextra
Nituntur pisces: oculus se fallit in ictu.
Segnius adductis nervis, propiusque remenso
Aggere certatim summas intendere vires
Invigilant. Crebros ictus eludit inanes
Sphaera, novos exosa dolos, simul usque recurrit.
Voce animant socii, miseros plebecula saeve
Sibilat. Accedit iuvenis tutissimus armis,
Et iam insignis equo ultorem se iactat amicis.
Infelix! medium tandem compulsa foramen
Effugit hasta; iterumque ferit si denique piscem

Verbere contingat. Quoties retro cessit, et ipse
Instat ab integro nimiis temerarius ausis.
Irrisum sed enim telum deponere iussus
Abscedit tandem: misero rubor inficit ora.
Tum dextra incedit melior: mox missilis ignis
Excutitur globus; aut reserato carcere Mimus
Subsilit egregie nasutus, vestibus albus,
Ut vulgo perhibent, miseris oriundus Acerris,
Qui pulliceno similis, (fors unde vocatur),
Gutture raucisono blaterat, niger ore superne:
Pilei et oblongi speciosus vertice acuto,
Crura manusque agitans, risus sibi captat amicos.

ORA NEAPOLIS

AD SANCTAE LUCIAE

Mox ubi praetereas spatiosa palatia regum,
Atque giganteo laeva jam fonte relicto,
Se via deflectat leviter declivis eunti,
Otia et ingenuos mores, queis eminet una
Parthenope, vidisse iuvet. Via panditur ampla,
Scrupea praecipiti quam supra est Echia dorso.
Contiguis dextra protenditur aedibus ora,
Sordida stipatur plebs pone per arcta viarum
Plurima, cui tenuis rete est et quaestus arundo.
Oram praetexit laeva piscaria: mensae
Nomina quaeque sui iactant inscripta propolae.
Ostrea nativis rutilant haerentia testis,
Et levibus trepidat subtilis conchula crustis;
Vivit enim, viridi spirans e sportula odorem.
In caput obliquus teneros hic commovet artus

Polypus, inque cadis inclusas cortice cernis
Fulgere cochleolas, et spinas volvere echinos.
Oris interea mediis assurgit in arcus
Murmure multiplici fons nunc viduatus aquarum;
Quum caecis emissa tubis, rursusque caduca,
Olim lympha fugax temere properaret ad auras.
Marmora nunc tantum simulant hic proelia Divum
Subsiliente salo: passim tritonia turma
Neptunum sociamque levi super aequora concha
Iussa sequi: ludunt contra delphines in undis.
Hinc abeunt geminae adversa prope litora fronte
Scalae, qua facilis gressus penètralia ad ima,
Uda salutiferis immixto sulphure rivis.
Hospes, siste, precor; neu te didicisse morantem
Tot pigeat nostri vulgi solatia: nunquam
Invenies alibi, quae nunc tibi ridet imago.
Condidit alma diem nox festinata lucernis
Innumeris: iam functa suis gens plurima rebus
Circumfusa hilaris, necnon prolabitur exlex.
Antevolant, teretique rota resonantia plaustra
Cornipedum vi strata student iterare viarum.
Oscitat ad mensam, vocemque hinc inde propola

Ingeminans, segnes ad mercem cogit emendam.
Nectere pars calathos recubans, pars retia gaudet.
Certatim siccata genas, laniata capillos
Feminea huc illuc tendunt examina palmas,
Sulphure qua cyathos fluidos, qua crusta daturas.
Eripiunt taedae noctem per litora: nostris
Fercula deliciis veli sub tegmine odorant.
Et jam grata maris crepitans vocat aura per altum:
Exiguis nil remus opus, nil tensa phaselis
Carbasa: sed zephyro propere iuvat ire secundo.
Haec vitreis fluitat lymphis onerata biremis,
Pausylipi certans declives tangere cautes:
Litoris haec gaudet, tremulo sub lumine, cursum
Ad numerum renovare, fides dum pectora mulcent.
Iamque satis: plebes abiit; siluere tumultus
Nocte super media. Tandem pulsata susurro
Saxa levi suadent iam sero cedere somno.

TEMPLUM MAXIMUM

FLORENTIAE

Nec te, quo merito Florentia clara superbit,
Praeteriisse decet: te sacrum Virgini hetrusci
Arte pares ambo dudum posuere. Licebit
Maius opus spectare alibi, non pulchrius unquam.
Marmoreae lato sternuntur limite moles,
Ambitus unde patet. Brevior pars, brachia pandens,
Vertice sublimi caput inter nubila tollit.
Quae species operumque venus! quam frontis amice
Marmora conspirant, crustis discordibus! Una
Candida collucent quae Carrea plurima misit,
Quaeque suis tam dives opum Florentia venis
Eruit, obscure viridi suffusa colore;
Nec non quae splendent Tyrio maculosa veneno.
Arte nitent postes: summis in postibus, ipse
Forsan acu velum non tam mirabere pictum,

Tenuia quam miris spirant anaglypta figuris.
Limen adi, sacrasque oculis iam protinus aedes
Perlege. Qui mare qui terras, qui sidera complet
Illico adesse tibi Deus ipse videbitur, atque
Numine pene suo complere loca omnia circum.
Tum vero pavor ima quatit, sacer horror, euntis
Pectora pertentans; torpet vox: undique templa
Visa sub obscurum signant immania Numen
Maiestate potens. Sacra formidine tandem
Deposita mentis, iam nunc delubra stupere
Alta potes, si nec species, nec inanis imago
Te teneant operum: teneant, quibus ebria tantum
Lumina captantur nimio satiata colore.
Luxus abest, aurique nitor tabulaeve: videntem
Ipsa sacrae tantum molis portenta morantur.
Vix longae inducunt radios lumenque fenestrae,
Culmine quaeque suo gaudens gracilescere acuto.
Daedalea verum arte notant depicta figuras
Vitra sacras: cohibet lux intercepta colores.
Principio ingentes adversis frontibus octo
Incumbunt arcus aequo discrimine pilis.
Mox mediis spatiis, queis bina hinc inde recurrunt

Brachia iuncta, locus mirum se pandit in orbem.
Succedit sinuosus apex: hic montis ad instar
Concava consurgunt immensa cacumina templi.
Fit sonitus: fusis precibus iam in vota vocatur
Voce Deus trepida. Ceu quando gurgite ab imo
Aequora confligunt, fremitu simul ampla resultant
Saxa procul vario; simul omne sequacibus undis
Miscetur, pelagusque fretis spirantibus horret.
Haud secus interea spatiis inclusa recurvis,
Itque reditque vias, decies geminata per auras
Vox populi, deciesque tholi vaga consonat echo.
O hominum rerumque potens Florentia mater
Tolle animos: en ipse caput tandem Arnus ab undis
Extulit, et trepide magni decora ultima templi
Inspecturus adest. Vos nunc quos inclyta facti
Fama manet, properate viri. Iam splendeat omnis,
Regis opus, facies: spirantia sistite signa
Expectata diu. Sed enim quae lugubris urbem
Vox inopina quatit, fatalis nuncia casus?
Occidis heu misere Tuscis, heu flebilis omni
Italiae, venerande faber! Doctissimus unus
Informes agitare sacro spiramine moles,

Nuper eras nobis, fratris seu caede cruentum
Fingere, et ultrici pressum formidine Cain,
Inclyta sive Crucis malles glomerare tropaea,
Longo hominum divumque simul stipante caterva;
Aut lacrymas renovare, scelus meditatus iniquum,
Quo, tua cura, dolet spirans sub imagine mater.
Heu pietas! Italis artis nova monstra magistrae
Invida fata negant! Abiit: sed, caetera desint,
Ipsa manes, complexa sinu moestissima natum,
Virgo parens, Italisque virum memorabis ademptum!
Quin etiam stares, sineret mors, Virgo, merentem
Artificem sortita, novis in frontibus, anguis
Sub pede contriti victrix certamine primo.
Iamque pias sensere manus saxa aspera: mentis
Vis se marmoreos iterum diffudit in artus,
Et magnum molitur opus. Iam vivere moles
Coepit iners: reserata micat iam gratia visus.
Quum subito cecidere manus, frustraque querentem
Mors premit: extremo clauduntur lumina somno.

ELEGIACA

REDITUS IN PATRIAM

En iterum noti volitantes litoris aurae,
  En iterum patrii gratia nota soli!
Ecce mihi ante oculos Vesuvino e vertice fumus,
  Et se Summani pandit imago iugi!
Iam video vitreis Capreas adsurgere ab undis;
  Atque elata mari iam micat Aenaria.
Eminus accipio sonitus: clamosa loquelae
  En iterum nostrae carmina me recreant!
O patria, o qualis lacrimis me tangit obortis,
  Pertentans reducis pectora, laetitia!
Abstinui nec ego fletu, quum dulcia liqui
  Litora teque, sinu iussus abire tuo.
Multa gemens, innixa suis in limine primo
  Stabat, inops veluti mentis, anicla parens.
Fratribus atque aderant immixtae hinc inde sorores:
  O quoties dedimus basia cum lacrimis!

Amplexae natos aderant: heu nescia luctus
Turba licet, gemitus tristis et ipsa dabat.
Ast nunc flere iuvat; non amplius ulla doloris
Causa manet; lacrimis dulcibus ora rigo.
Et iam raeda rapit cita me mea tecta petentem:
Qua data porta, rotans effugit ante alias.
Quis rumor! longas geminans prope fercula voces
Venditor ad merces comis adire iubet.
Sarcinae iter raedae impediunt, piscaria, plaustra;
Garrulus ad mensam quisque propola suam.
Rumpe moras, da lora puer, voce utere: merces
Nec deerit; quassa fortius o scuticam.
Carpe viam interior; sunt haec compendia nobis;
Vita, flexus adest: hinc cave, amice, rotas.
Iam satis, exerra dexter, moderatus habenas
Nunc revoca; merces haec tibi pacta, vale.
Scilicet hic teneo tandem mea tecta: parentem
Res lateat, famuli, vos precor; ipse loquar.
Iamque meum tacite penetrale inopinus adibam,
Nomina vix cohibens quae sibi fingit amor,
Quum subito ut contra mater conspexit euntem,
Amplexu trepide me tenet exsiliens.

Oscula multa damus, fletu simul ora rigantes;
  Alter et alterius nomina saepe vocat.
Nuncia fama tamen (fratris tam magna cupido est)
  Laeta volat reditus, itque reditque vias.
Iam mediae, puerûm coetu comitante, sorores,
  Iam properant fratres, nec minor his suboles.
Protinus, haud fallor, puerili longa tumultu
  Atria miscentur: ludicra verba noto.
Venit io patruus, pueri repetuntque puellae,
  Et mea ludentes nomina voce vocant.
Obvius occurro fraterna ad basia: parva
  Circumfusa premunt agmina me medium.
Quisque prior patrui collo dare brachia circum,
  Quisque cupit patruo basia ferre prior.
Se glomerant vocitantque simul, tenduntque tenellas
  Implacidi palmas, subsiliente pede.
Parcite iam patruo, pueri, vos parcite quaeso;
  Oscula quisque dabit, credite, et accipiet.
Irritus obtestor: rapior perque ora fatigor,
  Commixtus pueris, undique basiolis.
Obiurgant frustra matres; hi ludere certant,
  Et puerum ritu dicere blanditias.

Hos tamen alma mihi, nam tantae est stirpis origo,
Subridens tacito conspicit ore parens.
Post ubi lassorum puerilia membra quierunt
Me circum, petulans conticuitque sonus,
O pueri, modo vos stetis, iam discite dona,
Incipio: en iterum murmure tecta strepunt.
Credite, amabo, mihi, nemo haud donatus abibit:
Ore fave, pubes garrula, mitte queri.
Eia age, prima tene mihi tu dulcissima neptis,
Nomini et aptentur, quae fero dona, tuo.
Stat tibi baca rosam duris imitata lapillis,
Quas una Arni gens accola mittit opes.
Nec mora: nigra oculos, crines Rosa nigra fluentes,
Prima venit; quantus ridet in ore decor!
O merito dilecta mihi! discedere flebas
Tu patruum, memini: teque, puella, prece
Sollicita accepi quoties properasse morantem!
Exspectatus adest: mi Rosa cara tene.
Olli virgineum nectit mea fibula pectus,
Laetaque, prospiciens dum strepit agmen, abit.
Accelerant pueri: gestit prior ille videri,
Cui nomen feci primitus ipse meum.

Iconia (haeret enim medicatae chartulae imago,
  Quam rite excepit sole iuvante vitrum)
Ille mea contentus abit: tunc ordine dona
  Accipiunt alii, dulciola, effigies.
Tres alia accedunt pudibundae parte puellae,
  Tres hae iure patri, deliciaeque mihi.
Os unum, color unus inest, atque aurea passim
  Tortilis alludens colla per alba coma.
Mane novo sic mixta rosis colludere cernis
  Lilia, sic tremula sidera luce micant.
Hinc Helenilla manus atque hinc dat Linda sorori:
  Ecce Melaniolae pes quoque signat humum.
Huc agite, o pariter formosae adstate puellae;
  Tuque tenella metu parce, Melaniola.
Haec ego: tum trepidae veniunt ante ora; minorem
  Excipio, inque meo ludere do gremio.
Ista manent, agedum, vobis mea dona legenda:
  O lege Linda, animo macta Helenilla lege.
Munera sponte legunt ambae: sed tristior, heu me,
  Se torquet patrui nescia neptis adhuc.
Blandior incassum: querula tum voce vocatum
  Maesta pede ad patrem saepe labante fugit.

Illius ad gemitus puer alter, quem altera dulce
Ubera sugentem fratria gestat alens,
Obtutu adsurgit placido; illi credulus adsto;
Ut videt, adspectu territus ora tegit.
Allicio frustra puerum: complexus utroque
Brachiolo matrem me fugit inlacrimans.
Ah puer, a gemitu mi parve absiste: gementem
Sic mea materno lenit amore parens.
Ille nepos aviae merito dilectus: adempti
Primus ab integro nomine gaudet avi.
Tum vero irrident pueri, digitoque puellis
Me monstrant, pavidos ore ciente sonos.
Iam satis, indico pueris, absistere ludis
Tempus adest; cubitum nunc properare decet.
Musicus hic agitare manus, hic dicere versus
Quaerit adhuc, festas ducere pars choreas.
Spondeo, ludemus pueri, quum postera surget
Clara dies, hora spondeo composita.
Abscedit cognata cohors: mihi personat aures
Cras, longumque vale, pube abeunte, vale.

VICTIMA VESEVI

ANNO MDCCCLXXII

Ora iugi patuere, procul micat igneus aether;
  Perfidus en iterum Vesvius exululat.
Hiscit inexhaustis iterum fatale caminis,
  Atque latus piceo turbine saxa vomit.
Exitiis infame solum! procul este puellae,
  O procul! indignam ne properate necem.
Ignea ne accedant, matres vos deprecor, antra;
  Si quis natarum vos tenet almus amor.
Matris inexpletis, dum sextus volvitur annus,
  His saltem lacrymis credite: funus adest.
Nox erat: adversae tremulo sub lumine lunae
  Parthenopes placidum fulgere gnata vadum
Ut vidit, longeque levi glomerare sub auras
  Murmure Mulciberum, qua via facta, globos,

Obstupuit nova monstra tuens, simul arsit amore,
Ignoscenda quidem, montis adire iugum.
Infelix aderat iuvenis, cui sancta marito
Basia quamprimum gnata dedisset avens.
Obtestor frustra: precibus deceptus, Elisae
Irrita vota suae non tulit esse procus.
Hospita Parthenopes linquuntur tecta: repente
Per medias ferimur, rheda abeunte, vias.
Rursus ab aequoreo speculamur littore flammas,
Iamque suburbanis rheda propinquat agris.
Undique rura micant: tandem adventare ruinis
Imposita Herculeis oppida conspicimus.
Hic collecta manus: cupidis nam scandere cautes
Ascensu hic facili semita pandit iter.
Inde exaudiri fremitus, meliusque sub imis
Murmura visceribus: mons magis inde rubet.
Ah monstrum, mea gnata, cave, me terret imago;
Corrige vota, tuo fugit ab ore color.
Haec ego nequidquam: taedis accincta caterva,
Dum medios petulans nos premit, ire iubet.
Scandimus interea; circum vanescere coepta
Pascua, rura; rigent saxa ibi, squalet humus.

Cuncta silent: silet extemplo ferus ipse Vesevus,
Nubibus interdum condita luna latet.
Longa per ambages nos ducit semita: crebrum
O nimium felix iam redit agmen ovans.
Quot contra iuvenesque simul sociantque puellae
Se nobis, hilares ore ciente sonos.
Heu pietas! qui retro legent vestigia? quotque
Aequa dabit patrios sors remeare lares?
Sistimus acclivis defessi culmine rupis:
Hinc Summanus apex, igneus inde patet.
Subsidet ille, minax caput hic ad nubila tollit,
Subiectamque sua mole fatigat humum.
Tum primum, fateor, mira novitate tenebar
Monstra stupens: solvi pectore et ipsa metum.
Nocte super media certatim hanc agmina sedem
Circumfusa adeunt: tutior haud alibi.
Conspexisse iuvat: nec enim fas, ulla timere
Funera quae nobis mons scelerata paret.
Amnis adest, montis qui sese vertice ab alto
Flammeus immittens tramite multifido
Praeruptam praeter rupem, quo venimus, imam
Lene fluens, rauco murmure tendit iter.

Luditur haec inter, concurritur: iste propinat
Vina propola, suas porrigit ille dapes.
Gnata abiit sed enim iuveni sociata; sub alta
Rupe sedet: statio tuta nec illa minus.
Mox alii abscedunt, sistit pars cetera: Elisa
Se nondum adspectu subtrahit inde meo.
Improba cur hominum natura animumque oculosque
Decipis, usque tuos abdere docta dolos?
Ecce etenim mugire solum, tremere antra Vesevi
Intima, perque aditus exululare cavos.
Fumea tum pino glomerare simillima nubes
Mille globos: labi iactus ab ore cinis.
Ima quatit tremor ossa: procul compello morantes:
Quonam abiere? Puer, gnataque Elisa latent.
Ingemino voces; clamat quidam aggere ab imo:
Effugere duo, conspice, tuta petunt.
O utinam! accurro, videor spectasse puellam;
Sis bonus, et miseros tu, Deus, oro, iuves!
Iam subeunt alii: tum haurit crudelis anhela
Corda pavor: vallis fumus inumbrat iter.
Huc cito radite iter dextrum, cito scandite cautes:
Alma, cave: sponsae, mi puer, affer opem.

Vix ea dicta dedi, subter quum rupis hiatus
Igne scatet, clivum iam vorat unda fluens.
Parce meis, Deus alme, precor! Circumvenit amplo
Flamma sinu: miseris nec datur ulla fuga.
Qualis adest! complexa procum clamoribus auras
Implet, et absentem me moritura vocat.
Quid facerem? melius subiit per saxa per ignes
Obiectare neci, quo vocat aegra, caput.
Me nimium tenuere pii: sic iussa fremebam
Ipsa parens sobolis funeri adesse meae.
Me circum trepidare aliae: duo forsan ademptos
Pene furens natos haec gemit, illa virum.
Amplexi matres pueri innuptaeque puellae
Hinc fratrem, hinc querula voce vocare patrem.
Adstamus tremimusque simul: pavor, undique mortis
Luctus: at auxilii, dum fremit, impos amor.
Nec mora enim: circa patulum revolutus in arvum
Ignis inest, serpens imperiosus humi.
Insequitur, iam prima subit connexa duorum
Corpora, praecipiti vortice membra tegens.
Vulcano gradiente puer consumitur alter,
Mox alii, flammis alter in alterius.

Ast late loca fumus obit: non amplius ulla
  Membra patent; propere stridula flamma vorat.
Tum vero riguere comae: tremor horridus artus
  Occupat, aegra metu corruo et exanimis.
Subtrahor hinc, interque manus, miserante caterva,
  Ut perhibent, alio sospes ab igne feror.
Infelix consisto domi: quae noctis in umbra
  Indulgens lacrymis horreo monstra vigil!
Mane novo superesse quidem, miserabile visu,
  Vix bis sena ferunt corpora seminecum.
Hos trepide miseros concurro invisere: Elisam
  Invenisse tamen spes inopina subit.
Eheu quas facies, quae cerno membra! sed una
  Exoptata mihi gnata misella deest.
Spes ita adempta mihi: sane, data praeda Vesevo,
  Crudeli iacuit nec minus illa nece.
Hinc rursus mea tecta peto: quot questibus aedes
  Impleo, quot lacrymae moesta per ora fluunt!
Atque manu versans vela, et non amplius olli
  Serta renidentes implicitura comas,
Imbribus haec quoties cupio monimenta rigare,
  Obtutuque sedens haereo, mentis inops.

Sat lacrymis equidem dedimus, sat questibus; at si
 Te deflere quies, te mihi dulce queri est,
Dum mihi vita moras ingrătas protrahet, usque
 Te querar, et lacrymas, te viduata, dabo.

PROELIUM AD LEUNIANUM

Mitte recens: veterum memora decora alma tuorum,
  Patria: quod iactas, heu memorasse nefas.
Neu te posse putes fatis melioribus uti,
  Si qua vocent iterum, Numine posthabito.
Arma tulit iampridem acres metuendus in hostes
  Italus, ipse viris quum dedit arma Petrus.
Omne hinc principium: non hinc inglorius ullus
  Occidit, aut pavido cum duce terga dedit.
Concurrere simul: iam iam obiectare periclis
  Stat caput, atque, viam Curru ineunte, neci.
Carpit iter stipata manu pia machina: proles
  Qualis adest turmae mascula belligerae!
Invehitur campo iam Crux sublimis aperto:
  Crux micat, ipsa salus et decus ipsa viris.
Tempus adest: sacrum instaurat solemne sacerdos,
  Voce vocans humili vota in amica Deum.

Disce recens soboles, veteres oblita parentes,
Qua sibi miles opem strenuus arte paret.
Barbaricam quae mox rabiem, instantisque tyranni
Proteret immanem saeva per arma gregem,
Procubuit supplex, demisso et vertice ad aram,
Multa movens, acies se vovet ante Cruci.
Rumor it: Hostis adest, socii Cruci adeste. Repente
Quadriiugus fertur Currus in arva gemens.
Tela volant: socii circum pro turribus adstant,
Ictaque fulminea cuspide scuta sonant.
Stricta immota acies, iterum exceptura ruentes,
Nunc pede congressos, nunc fugat acris equo.
Instat adhuc, si forte queat contingere plaustrum
Hostis, ubi gladiis ferreus horret ager.
Ter conata phalanx germana: ter inde recessit
Versa retro, aut moriens ore momordit humum.
Pulvere miscetur campus: Crux eminet una,
Et procul adverso sole cadente micat.
Quadrupedum vi pergit iter sacra machina, sternens
Pondere tarda, vias dum secat, exanimes.
Sic medios olim visa est incedere in hostes,
Plena Deo, Isacidis et stetit Arca salus.

Vos nitidi colles et grata Insubribus arva,
  Quae tremula assiduo murmure oberrat aqua,
Vos caedis, sociale feros quum contudit hostes
  Agmen inoffensum, conscia testor adhuc.
Qui non barbarico vos inter sanguine gurges
  Decolor? intactae sanguine quae segetes?
Et monstrum fatale ducem dare terga fugacem,
  Ut damam, retro quam citus urget aper,
Ultima per vestros viderunt invia saltus,
  Et pavide excisae rupis adire latus.

LYRICA

MEGARIS

SEU CASTRUM LUCULLANUM

Frustra secunda sorte superbiam
Sumis: nec ipsis parcere regibus
Adsueta, opes iniurioso
Sors pede, si volet, emovebit.

Quos tecta amores, quos vetus insula
Testantur arces et viridaria!
O dulce Lucullo tot annos
Delicium, scopuli nitentes!

Atqui ruenti funera, nescius
Ipse heu parabas hic Capitolio!
Hic, terminos mundi superbum
Imperium tetigisse, cessit.

Ut prima fines Italiae phalanx
Ferrata rupit, rege Herulum duce,
Huc fertur amisso supremus
Romulus imperio exulasse.

Ex arce lustrans heu quoties iners
Commota saevis fluctibus aequora,
Audire tum visus per undas
Cornua, equos equitumque murmur.

Quandoque retro, qua Platanon (*) patet,
Audire litus propter amabile
Pompas, catenatis tyrannis,
Et populi strepitus ovantis.

« O non luendum sanguine civium
Fatale probrum! Quo decus, o pudor,
Quiritum? Inultas barbarorum
Iamque sinunt equitare turmas.

Dîne impotentes littore Tibridis
Cessere prisci? Vincere sed nefas,

(*) Via, quae Insulam prospectat, nunc audit *Chiatamone*.

Quamquam ô!, novos » Sic fatus, ora
Ponere humi lacrymis obortis.

Quam saepe Romae, quum positae aequoris
Aurae quierunt, immiserabilis
Imago sub noctem, Quiritum
Inferias, iuvenem revisit.

SACERDOTI NOVO

Heu Tibri profugus jam properat Pius?
Inversaene vices? Italia, o pudor,
(Vertant ô Superi omen)
Petri posthabita hostibus! (*)

Iratique rubens dextera Numinis
Iam torquet sceleri fulmina debita;
Quae formidine pallens
Narret posteritas memor.

En late tenebris pontus inhorruit,
En venti exiguam concutiunt ratem,
Extremumque sonorae
Intentant hiemes malum.

(*) Ode haec primum prodiit, quum anno MDCCCLXVII Pius IX Melitam immigraturus ferebatur, Britannorum hospes.

Aequor iam tumidos imperiosius
Fluctus exagitat: iam lacerum latus,
Concussaeque ruinam
Pini cum sonitu trahunt.

Aram, Mysta recens, sollicita prece
Scandens, paciferam protinus Hostiam
Macta, cuius in aequor
Ventosque imperium vagos.

PIO NONO P. M.

PETRI ANNOS EXPLENTI

Nunc nunc ad aras o licet impigre
Placare Numen carmine debito,
Sic insolens servans in aevum
Incolumem solio Parentem!

Adstare tandem praecinit Angelus,
Mira loquendum voce nepotibus,
Diem, quem adhuc sperans, in armis
Pone Petri vigilavit aram.

Aether repenti murmure consonat;
Sensere faustis sub penetralibus,
Moraque rupta, Vaticani
In tumulo quatiuntur ossa.

Nunc quis, Sodales, laetitiae modus,
Antehac dolentes, heu nimium, Pium?

Immane quando haec lux peractis
Discrepat, o prohibete luctus!

Multa morantem sollicita prece,
Votisque cuncti optavimus anxiis:
Vocare quot pridem puellas,
Quot pueros docuere matres!

Eheu Parentis ne caput occidat
Tam dulce natis, ludibrium impiis!
Praestet triumphans expetiti
Insolitas ferias diei!

Die precantes diximus integro,
Nec non silenti vespere: scilicet
Longam laborantes in Uno
Spem modo nos iuvat inchoasse.

Atqui fidelem laetitiam Pius
Tristi tuetur lumine; protinus
Ex hac sibi luce affluentes
Ordinat, heu memorans, dolores.

Moestisque natos adloquiis suos
Complexus, agmen iam undique gestiens

Videre Patrem, qua calores,
Qua gelidae spatiantur undae,

« In maius, inquit, quot vehit hic dies
Damna auspicatus! non Ego viserem
Nefas tot omne incontinentes,
Quos pudet Italiam tulisse.

Contaminata huc agmina vilium
Cum fraudulento milite, iamdiu
Parante funus Vaticano,
Sacrilegam properare praedam

Vidi relictus, vidi Ego! Proh pudor!
Crimen patrare est ausa, ferocior
Custode vix Gallo labante,
Perfida gens inimica Petro.

Quandoque Romam barbarus institit:
Inlatam in arces romuleas Crucem
Signum negabit militare
Progenies sceleri superstes.

Ast Me tuentem iura Petri, minae
Non mente firma non quatiet phalanx,

Non vis tyrannorum: pacisci
Consiliis renuam dolosis.

Procul profani! dona rapacium
Ultro repellam. Lege Quiritibus
Hac interest sancta, futurus
Rex Petrus, aut patiens catenas.

Ergo procaces qui sibi nomina
Natorum adhuc, ah dedecus, arrogant,
Mox clivo ovantes e Quirino
Heu morituro aderunt Parenti! »

Sic fatus, altis lustrat amabiles
Coetus querelis exanimans Pius:
Singultibus Patrem vocantes
Ora premunt lacrymisque obortis.

Videtis? an nunc lumina me mea
Ludunt? videre et iam videor Petrum
Haec inter expasso stupentem
E tumulo caput extulisse.

Et rite festum prospiciens diem
Obtutu inhaeret conscius in Pio,

Sic fata moerenti eloquutus:
« Solve metu, stabilisque rerum

Hoc meta servet, quod cecini semel.
Hanc ipse lucem (sic placitum Deo)
Te unus prior vidi, et tyranni
Occubui rapiente dextra.

Rebus ruentis praesidium Pie
Orbis, brevi Te dulce superstitem
Te sospitem, Petro negatus,
Crede, manebit io triumphus! »

EUGENIO CECCONI

FLORENTINORUM PONTIFICI

PUERI ET PUELLAE

Expectate venis: iam nimium diu
  Arni te reducem littora, murmure
  Te grato revocat collis, ubi novum
    Davidis simulacrum adest.

Extinctum lacrymis rite fidelibus
  Heu Patrem licuit nos modo prosequi:
  At vix dum patrium nos tibi credidit
    Solemne imperium Pii,

Quum te mane novo, te prece vesperi
  Clamare assidua, nomina praecinens
  Tam cari capitis, nos docuit vigil
    Natum quaeque suum parens.

PUELLAE

Formosa licet o lusit imagine
Nos matrum eloquium! Scilicet inclyta
Olli quae species, cernite, et impotens
Omnino eloquii nitet!

PUERI

Humana quoties cernimus Angelum
Depictum facie, prodigium stupent
Obtutu simili lumina: qui venit
Num se comparat Angelo?

PUELLAE

Nil mirum: tacita dum prece cernuae
Et desideriis sistimus Illius
Altari modo, cui Numen ab aethere
Prolem nunciat aliger,

O monstrum! placidos annuit ilicet
Risus ingeminans Virgo, stupentibus
Gratum hoc ore sonans: advenit, advenit;
Coeli munera discite.

PUERI

Imo Zenobii visere dum iuvat
Votis effigiem nuper et omine,
Adstat, prodigio credite et alteri,
Immutata coloribus.

Adspectuque hilaris, iam senio gravis,
Mox formam iuvenis protulit integram.
Nec frustra fuimus: quisque tui antehac
Iam visum meminit decus.

PUELLAE

O tandem, merito delicium tuis,
Nos inter remane! discere creditos,
Qui te nunc medium laetitia premunt,
Natos, o Pater, incipe.

PUERI

Nostras alliciens sollicitis genas
Tangat blanditiis iam sine dextera.
O nobis agedum porrige: dulcia
Figamus sine basia.

PUELLAE

Quam aetas cumque dehinc attulerit diem,
Spondete o pueri, dum loquimur, simul:
Concors o maneat dulcis amor, bono
Concors o vigeat Patri!

PUERI

Ultro ipsi addidimus pollicitis fidem:
Quidquid displiceat, sacrilegum foret.
Creditne ipse suis? credit; amabili
Subridens oculo silet.

ALEXANDRIA

PROPE TANARUM

Spernis incassum, nove perduellis,
Quisquis es, Petri monumenta: Petrum
Impie iactans itali perennem
Nominis hostem.

Atqui adhuc arces, Tanari sub oris,
Primitus ludis positae cruentis,
Vindicem nobis memorant, decori
Quo duce pridem

Insubres saevum socii tyrannum
Teutonûm nostris pepulere terris,
Liberae, strictis gladiis, voventes
Pectora morti.

Fertur, addictus nimium potenti,
Caesaris nomen posuisse coetus
Arcibus: sic nunquam iterum auspicatum
Ferre dedissent!

Heu nefas! istinc veniens (nec unquam
Hoc erant nostri veriti priores)
Ire deiectum solium Parentis
Vidimus agmen.

Barbaras Romam populasse turbas
Scimus: in Romam Cruce gloriantes
Milites aevum veniens tulisse
Signa negabit.

Nomen ast Urbi Tanari supersit:
Inde te saltem pudeat doceri,
Degener quam sis pietatis, aetas
Nostra, paternae.

LUDUS PUBLICUS

FLORENTINORUM (*)

Iam laeti rediere dies: spectacla Columbae
Concelebrare iuvat.

Mane novo fluitare vides per compita, perque,
Urbe fremente, fora,

Agrestes quotquot vicina per oppida turmas
Nuncia fama movet.

Addunt se socios cives: Florentia misit
Nec minus ipsa manum.

Turris ubi crustis mire variataque signis
Tollit ad astra caput,

Sistitur ante fores delubri machina: bini
Plaustra tulere boves.

(*) Vulgo *Colombina*.

Culmina tectus obit penitus completus et igne
Circulus artifici.

Mox simul anguiculos, et, fusis imbribus, ignis
Evomitura globos,

Machina congestis nitrato pulvere circum
Horrèt arundinibus.

Hinc funis distentus abit, templumque subire
Mole sub aeria,

Cogitur, et summae sese vincire columnae,
Unde iter ales habet.

Organa pulsantur: nova iam per gaudia voces
Insonuere sacrae.

Daedalus ales abit, funem complexus, ut ignem
Sensit, et evolitat.

Sis bona, conclamat, puerûm cursante caterva,
Quisquis adest senior;

Sis bona, festina, sospes duc pectora nostra
Laeta per auguria!

Fendit iter: currum tetigit feta igne columba,
Currus et ipse flagrat.

Incolumis rediit, templumque illapsa columnae
Haesit, et intonuit.

Interea calamis currus crepitantibus omnis
Ludicra bella ciet.

Huc illuc volitant radii, tubulique corusco
Protinus imbre fluunt.

Iam satis: exhaustum currum comitatur euntem
Omina turba canens.

VINCENTIO MORETTI

RAVENNATIUM ARCHIEPISCOPO CARDINALI

Debito fulgens bone Praesul ostro,
Te vocat (fausto i pede) gratulata
Quae tenet magni cineres poetae
Hospita tellus.

Adspice, expectat reducem, nec ulla
Vana me ludit procul inde imago,
Iam Ravennati sociatus ales
Unus et alter.

Notus occurrit tibi uterque: primus
Nempe Caesenae vigilavit ante
Creditum tecum populum, patrono
Teque magistro.

Te quoque amissum cito luxit alter;
Quum Pius nuper dedit auspicatus
Te ducem, sancto grege gestiente,
Esse Ravennae.

Quid novi? plausu tibi dum frequentis
Consonat litus fremituque turmae,
Monstra ceu spectans inopina, quisque
Suspicit ales.

Fata qui norit tibi quae supersint?
Angeli (hoc unum video) remoto
Lumen in coelo exoriens vicissim
Indice signant.

LEONI XIII

PONTIFICI MAXIMO

Fulgere tandem lumen ab aethere
Insigne vidi: scire nec audeo,
Cur hoc Pii sancti negarit
Sollicitis Deus ante votis.

O iam querelas desinat anxius
Qui grex fidelis nunc tibi creditur!
Spem luce ab ista mox futuri
Suspiciens renovet triumphi.

Ergo potentem sorte vicaria
Te Vaticanis hostis in arcibus
Inspectet, et rursus Leonem
Sentiat, aufugiens retrorsum.

Quandoque victis barbarus Alpibus,
Iam iam catervas obiiciens suas,
Caeco perhorrenti tumultu
Perniciem properabat Urbi.

Non ensium ullo praesidio ferox,
Vindex Quiritum constitit obvius:
Ut vidit, infamem refregit
Egregius sine caede victor.

« Adstare (dixit), credite, nil gerens
Mortale prorsus, visus ibi Leo;
Obtutu inhaerentem, minacem
Cominus adspiceres Tonantem.

Quin imo alius mucro oculos mihi
Perstrinxit ardens: vidi egomet. Cito
Amissa virtus, pertimensque
Mecum acies mea versa cessit ».

Quis nunc stupebit temporis improbos
Acti tyrannos? Obsidet, obsidet
En praedo miles Vaticanum
Christiadum decoratus armis.

Deliberato hic carcere fortior,
Natis ademptus (pro scelus!) est Parens.
Quot sospitem votis, solutum
Quot lacrymis cupiere Petrum!

Sed nec Parentis tam senio gravi
Turma haec pepercit barbara: visere,
Inde incubans Petri sepulcro,
Omne nefas vetitumque iussus.

Ibique longo pressus amabilis
Moerore tandem procubuit senex:
Dumtaxat heu natis videre
Exanimum licuit Parentem!

Nunc Te, duello nec minus inscium
Miscere pacem, gens, Leo, perfida
Lacessat: haud est una virtus
Omnibus atque eadem, indolesve.

Fausta ominatur nomen: ab integro,
Petri supremis auctus honoribus,
Quid debeat tempus per omne
Roma Leonibus, edocebis.

EPIGRAMMATA

MULIER FUCATA ET PICTOR

Admissa invisum tabulas, fuco inlita multo,
Dum stupet, artificem se quoque iactat anus.
Subridens inquit pictor: iam scimus. Et illa:
Unde? Tua, pictor protinus, e facie.

HELVETIUS ET GALLUS

Militiam lucro facio: sic candidus olim
Helvetius; Gallus, me movet, inquit, honor.
Nil equidem mirum: sibi, quae fortuna negavit,
Ultro quisque parat, subiicit Helvetius.

NATURA ET GIBBER

Omnia, nôsse iuvat, natura exegit amussim,
Erudiens pueros, clamat Aristophanes.
Me quoque? scitatur deformis gibbere. Et ille:
Sic habet; ut gibbo nil tibi, chare, deest.

FEMINA ET PEPLUM AMISSUM

Pro peplo merces denarius unus et alter
Ponitur, amissum quod Catiena dolet.
Ah male! sericeum tantillo munere peplum
Quis dabit? occurrens est ita questa nurus.
Ne me tam laevam facias, tum socra: quod opto
Vulgo esse obtestor vafra ego gossipinum.

CAECUS ET UXOR

Est rosa, crede mihi, tua coniux: dixit amicus
Caeco: hoc me spinae, tunc ait iste, monent.

SOPHUS DEFORMIS ET SCURRA

Incedit meditans, quo non deformior alter,
Corvinus, vulgo dictus in urbe sophus.
Hunc aliis iuvenis digito dum monstrat euntem
Scurra ait: Aesopus, cernite, noster adest.
Tum sophus: O pulchre! stultis animalibus unum
Aesopum veteres verba dedisse ferunt.

MULIER ET PUERI

Ludere desistunt subito, dum Phyllis asellos
Transit agens, pueri, dicere et incipiunt:
Mater asellorum salve. Mitissima contra,
Filioli, clamat Phyllis, avete mei.

SUTOR ET ASTRONOMUS

Sutor erat, qui forte nives, pluviasque canebat
Et laetos, veri praescius usque, dies.
Unde procul ventura vides? quaesivit amicus.
Sutor ad haec: facili mira tot arte paro.
Contra ac astronomus frater mihi tempora signat
Atque vices, vulgo: sic mihi vera patent.

AGRICOLA ET LATER

Decidit in caput agricolae later: ille moratus
Suspicit, et, quisnam despuit? acer ait.

HERUS ET SERVUS

Non hodie ad mensam te, Quinte, adhibebo: quod optes
Nil boni, ait Xenophon, est mihi; cras venies.
Sevocat hunc servus qui verba accepit, et inquit:
Parce, tibi vituli novi hodie esse caput.

PUER ET MAGISTER

Quae meruit sacra dona Deûm Pandora, magister,
Fabulae ut haec perhibent, explicuit puero;
Haec addens: inerat clausae genus omne malorum
Pyxidi, at illa manum non tulit esse procul.
Ergo erat, incauto si pandit amore videndi,
Tum puer, ipsa foris omnis origo mali.

IN CEREBRA ANIMALIUM SUGENTEM

Accepit latrare canes, ululare catellos
Mane suburbanum pastor iter faciens.
Inscius accedit: quemdam terebrare misellos,
Et cerebra e media sugere fronte stupet.

Tum pastor: quorsum haec tam saeva? Pericula fiunt,
Quidam ait, an cerebri bestia vivat inops.
Mira quidem, ni ita res esset: mox ille; carentes,
Nos inter, cerebro vivere quot video.

GENUENSIS ET LUCENSIS

Discere Lucensis cupiens qua parceret arte
Sumptui, adit Ligurem: nox erat interea.
Extinguens lychnum Ligur inquit: luce loquenti est
Nil opus, hoc primum te meminisse decet.
Plurima iam docuit: missum facturus amicum,
Flammam rite fricans excitat exiguam.
Siste, precor, Lucensis ait, submittere braccas
Apposui, corpus dum tegit umbra, lucro.
Sane operam insumpsi tecum, o ego laevus, inanem,
Tum Ligur inquit: eras doctior ipse, vale.

SCIOLUS ET PUER

De pueri, pater, ingenio tibi gratulor: unum
Hoc timeo, iuvenis ne tibi fiat hebes.

Haec fatur sciolus puerum miratus. At iste:
Ergo te puerum iam valuisse patet.

LURCO ET PESTIS

Indica per vicos pestis grassatur: oberrat
Plebeius lurco, quem premit atra fames.
Offas ut cernit, lustrans hinc inde tabernas,
Innocuo spargit pulvere, iterque tenet.
Hunc ratus ex multis unum qui forte veneno
Clam res inficiant, arripuit populus.
Is negat: offarum iussus consumere acervum,
Quod fuit in votis, hac abit arte satur.

INURBANUS ET PAENULA

Quum plueret, ludis noctu miser adfuit: udam
Ante alium tunicam sedibus imposuit.
O bone, discedens, inquit, mihi parce. Sed ille:
Per tunicam licuit visere, mitte queri.

SCURRA ET CURRUS PUBLICUS

Rheda viris stipata (datur namque omnibus aequum
    Ius pretio e parvo) transit iter faciens.
Scitatus quidam: hacne locus, cedo, restat in Arca?
    Audiit: unus, adhuc, ingredere, est asino.

PICTOR IMPERITUS

Quo melius pictor celeres imitetur, equorum
    Negligit in tabulis fingere rite pedes.
Obstupet ingrata quidam novitate; sed ille:
    Cur quaeris, sodes, quod fuga sponte tegit?
Incipit interea fugere is procul inde; pedesne,
    Clamans, cernis adhuc? alter ait: quatuor.

DISCIPULUS ET IUDEX STUDIORUM

Crassior ingenio studiorum summa pericla
    Iam facit: hac animum iudicis arte movet.
Ne reprobes, miserere mei: secus aequor in altum
    Hinc me praecipitem protinus ipse dabo.

Subridens iudex: animum spe pascis inani:
Innatat usque, mihi crede, cucurbita aquis.

DOMINA ET ANCILLA

Frustum carnis anus miserum dat sordida servae:
Abstinet haec, nimius dum calor effugiat.
Tunc anus: insuffla, haud melius frigescet. Et illa:
Hoc caveo, mensa ne caro et ipsa volet.

CAECI ET VAFER

Ante fores templi, quos captavere, vicissim
Bini audent caeci pandere quaesticulos.
Quisque suum iactat confertum stipe galerum,
Non verbis alter credulus alterius.
Attrectare manu cupidi quae iactat uterque,
Inter se mutant iam capitis tegumen.
Haec aderat, vafer accipiens: hinc inde galeros
Porrectos medius colligit atque fugit.

AVARUS ET VIA FERREA

Chrysologus facturus iter, compulsa vapore,
Quippe tenax auri, tertia plaustra legit.
Cur ita? dedignatus enim, interpellat amicus.
Nil mirum, subdit; quarta deesse vides.

DUO VIATORES

Arcta via est, unique datur vix gressus: eodem
Adversi faciunt unus et alter iter,
Praetereunte asino, unus ait, non ipse recedo:
Declinans alter: contra ego semper, abi.

FEMINA LOQUAX ET MEDICUS

Incubat Ida toro, medicusque arcessitur. Heu me,
Inspice, doctor, ait, quot mala me cruciant.
Pulmo latusque dolent, iecur uritur, arida pellis,
Pallor in ore, gravat febris anhela caput.
Parce metu, faveas tantum indulgere quieti,
Ille ait. Ah linguam, femina tum sequitur,

Vise, precor, quid habet? quaeso, num sordida? Doctor
Sic demum: in primis indiget haec requie.

CRASSUS ET CADUS

Invitat socios Crassus: post fercula lectum
Ferre iubet, signo quem linit ipse, cadum.
Desuper inspiciens, simul ac meri opercula rupit,
Obstupuit medium pene vacare cadum.
Quidam ait: hiscit adhuc imus; famuli inde biberunt.
Ille: quid hoc refert? desuper ipse vacat.

DEBITOR ET CREDITOR

Quae dantur vulgo recitato nomine, Petrus
Accedens clathros, quaerit epistolia.
Aes inerat: cautus custos, nisi testis adesset
Quique hominem norit, tradere posse negat.
Supplicis interea contendit creditor, ah te
Iam teneo, inclamans, improbe; et arripuit.

Petrus ad haec nihil: at famulo cito talia reddit:
Ex his qui norint me bene, testis adest.

PSITTACUS ET CALVUS

Offas ex olla, iucundo captus odore,
Subripit incautus Psittacus et comedit.
At cocus, absumptae siquidem vestigia praedae
Multa manent, furem iam tenet ultor avem.
Atque ictus calido gaudens geminare batillo,
Edistine offas? saepius increpitat.
Formosae hinc coeptae capitis vanescere plumae;
Iam toto calvet Psittacus occipite.
Forte domum vir calvus adit: simul adspicit, ultro:
Edistine offas? garrula coepit avis.

CURIOSUS ET ALAPAE

Tramite quae secum ferrato Mulciber urget,
Composito sistunt concita plaustra loco.
Accedens Quintus conclamat: Petre. Viator
Exerit os, alapis inscius incutitur.

Quintum abeuntem iam foribus percussus apertis
Occupat, et poenas exigit opprobrii.
Tun' Petrus? exquirit Quintus: negat alter. Et ille,
Non ergo tecum est res mihi, subdit, abi.

ECLIPSIS ET SCIOLUS

Convenit astronomum eclipsim visurus, at hora
Serius indicta, simplicior sciolus.
Abstine, ait, famulus; contra is: spectacula, amicus
Est mihi, ne dubites, ultro iterabit herus.

TORTOR ET VETULA

Sanguine iam scelerum poenas anus aegra datura
Infamis scandit pulpita supplicii.
Tortor adest; capitis vice, cui supereminet alta,
Armum detruncat lapsa securis anus.
Hercule, turbatus tortor, mihi talia nunquam!
Tum caput excutiens, nec mihi, dixit anus.

IN SCRIPTOREM INSIPIDUM

Quod iam Brito tuum vertit Gallusque libellum,
Nos inter tollis, scriptor amice, animos.
O utinam invenias, nobis qui denique chartas,
Captus amore, tuas vertat et italice.

MENDAX ET EIUS STATUA

Illius effigiem, qui clara e stirpe suorum
Amisit nuper tertius imperium,
Obstupuit quidam, haec fatus: quantum instar in ipso est!
Vivus adest: sane vox homini una deest.
Alter ad haec, pariter spectatum admissus: amice,
Nil melius; mendax, ut prius, ipse foret.

CANIS ET VERBERA

Forte viatoris, patrio qui in littore oberrat
Arni, crura ferus dente premit catulus.
Brito procul conclamat herus: blanditur amice;
Innocui hi nostri, mitte timere, canes.

Extemplo baculum sensit post terga: querenti,
Ictus, alter ait, nos penes innocui.

CUNEENSIS ET AETHIOPS

Cogitur infelix, Cuneum cui patria, iuxta
Aethiopem somno lumina fessa dare.
Illius ora nigrant socii: qua credidit hora
Mane viatorem surgere caupo iubet.
Ut videt in speculo sese Cuneensis, Ineptus
Caupo, inquit, pro me suscitat Aethiopem!

INDEX

HEROICA

ELEGIACA

LYRICA

EPIGRAMMATA



H.S.



